Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Aesopus

Fabellae Aesopicae Quaedam Notiores, Et In Scholis Usitatae : Partim excerptae de priori editione, partim nunc primum compositae

Rostochi[i]: Hallervordeus, 1621

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728241870

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728241870/phys_0001
DFG

22.16.

Cc-2273.

~~C. II. c. 3048.~~

Sum ex libris
Alberti Willebrand.
Rostoch: megapol.
anno 1685.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn728241870/phys_0002
DFG

Ex testamento Willebrandiano.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728241870/phys_0003
DFG

FABELLÆ ÆSOPICÆ QUÆDAM NOTIORES, ET IN SCHOLIS USITATÆ:

Partim excerptæ de priori editione, partim nunc primùm compositæ

à

JOACHIMO CAMERARIO.



ROSTOCHI
Sumptibus Joh. Hallervordei,

ANNO
M. DC. XXI.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn728241870/phys_0006
DFG

PHILIPPUS MELANCHTON CHRISTOPHORO ZIEGLERO, VIRI CLARISSIMI Dn. Bernhardi Ziegleri Doctoris Theologiæ, filio.

S. D.

SICVT AGROS VARIE EXERceri, subigi, molliri, & ad accipienda fovendaq; semina præparari oportet: ita rudes & teneras mentes necesse est doctrinâ multiplici, & magnâ arte excitari & excoli, ut virtutem intelligere incipiant, & ejus amore accendantur & inflammentur. Quare in literis res eædem variè proponuntur: Primùm traduntur nuda præcepta, ut in Decalogo, aut aliis legum monumentis, deinde historiæ adduntur, in quibus monstrantur præceptorum exempla, placidi exitus honestorum consiliorum, Contra verò pœnæ scelerum tristes & horrendæ. Sumunt & Poëtæ heroici & tragici ex historiis argumenta, eaque omnibus eloqnentiæ luminibus ornant, ut magna vi in pectora & animos lectorum & spectatorum imagines omnium vitæ officiorum penetrent. Eandem doctrinam Comœdiæ tradunt, quæ fictis personis, res veras imitantur, & pingendis hominum consilijs & moribus, quid deceat, & quid fugien-

fugiendum sit ostendunt. Accedit & Philosophia, quæ, ut leges muniat, ausas necessarias in naturâ ostendit. Præter has formas doctrinæ virtutis, reliqua est pictura, quæ ostenditur in fabulis seu apologis, ubi naturarum collatione repræsentantur mores. Tyranni effigies est lupus, modesti civis ovis, veteratoris vulpecula. Per has formas omnes ducenda sunt ingenia, & res eædem magnâ varietate inculcandæ sunt, ut paulatim rudes animi intelligere virtutem, & honesta vitæ officia, & regere mores consilio & ratione aliqua discant. Nec exiguus hic labor est, nec subitò assvefieri animi possunt. Ideò magna varietate exercitiorum opus est. Ac interim semper addenda est doctrina, quâ se Deus patefecit, & commonefaciendæ sunt mentes, hunc postulare diligentiam in regendis moribus, hunc vindicem fore contumaciæ & petulantiæ. Sed in tâm varijs doctrinæ formis plurimum gratiæ habent fabulæ seu apologi. Nam collationes, quæ similitudinem humanorum morum; in animantibus, aut aliis naturæ partibus ostendunt, lucem rebus afferunt. Et per sese jucunda & suavis est aspectio naturæ in tanta rerum varietate.

Ideò semper omnium ætatum, omnium hominum sapientium & populi judiciis, magnus

gnus honos fuit fabulis, id est, imaginibus illis vitæ: imò & Deus multas res maximas talibus picturis significavit. Quid similius est apologo quàm quod scribitur in Genesi? Corvum in diluvio ex arca emissum, non reversum esse: Columbam reversam esse rostro gestantem ramum olivæ, quid venustius hac pictura cogitari potest? in gubernatione vitæ & doctrinæ studiis salutare est, & felix curriculum eorum, qui non deserunt arcam, id est, Ecclesiam. Ita sunt reduces columbæ, Esaias, Johannes, Paulus, Augustinus, & Principes pij, ut David, Josias, Constantinus, & alij denique omnes, qui consilia sua referunt ad juvandam & ornandam Ecclesiam. Et contrà corvi, id est, qui aspernantur Ecclesiam, pernicioſi & infelices sunt, ut Arius, Servetus, Mustela, Episcopi, Epicurei & similes. Erit autem explicatio illustrior, si naturas etiam harum volucrum consideres. Quàm tetra ingluvies est corvi? quàm dira vos? quæ crudelitas? Hæc congruunt ad mores eorum, qui ventris causâ defendunt doctrinam impiam; & exercent sævitiam in homines modestos rectè sentientes. Simile est apologo & Samsonis ænigma, quod in consilio oppositum est. Quid Physica ratio est, cur apes ex leonum aut boum cadaveribus nascantur, sicut ex equis crabrones, ex asi-

nis scarabei, ex hominibus serpentes. Est autem in ænigmate, ut in apologo mirifica pictura: Ex leone mortuo nascitur examé apum, id est, ex Christo mortuo nascitur Ecclesia & cibus dulcissimus restituens vitam hominibus. Tales sunt multæ imagines apologorum similes in doctrinâ cœlesti. Voluit enim & Deus ipse res easdem magna varietate proponere, ut studia accenderet, & commonefactiones haberemus de rebus maximis illustres.

Cum igitur utile sit instillari animis tales narrationes figuratas, ut sint mythi aut apologi, valdè laudandum est consilium viri clarissimi, doctrinâ & virtute præstantis JOACHIMI CAMERARII, qui & collegit ex optimis autoribus tales narrationes, & eas genere sermonis puro, nitido & verè Latino exposuit, & addidit epimythia seu fabularum interpretationes, quæ monent, ad quam vitæ partem singulæ accommodandæ sunt. Ita & pectora formant, & assuefacit linguam ad rectè loquendum, quæ duo ornamenta sunt hominum præcipua.

Etsi autem scio tibi ZIEGLERE patrem, qui consilio & eruditione excellit hortatorem fore, ut hoc volumen fabularum non solùm legas, sed prorsus ediscas, & ut veteres de Æsopo dicebant, ut ex Aristophane apparet, conteras:

teras: tamen ut meam quoque opinionem cum patris judicio congruere scias, idem tibi præcipio, ut cùm jam latinè loqui incipies, nunquam de manu has fabellas deponas. Hinc utiles admonitiones de omnibus vitæ officiis, & sermonum Latinum sumes. Vt autem tibi hoc præcipio, ita sum hortator mei loci hominibus, id est iis, qui passim docent literas in Scholis, & hunc ipsum libellum suis alumnis proponant, & ad fabularum cognitionem atq; amorem invitent tenera ingenia. Multæ enim utilitates concurrunt. Discuntur hîc vitæ præcepta, genus sermonis hinc purum sumitur, præparantur ingenia ad intellectum figurarum & allegoriarum, quæ multæ sunt in doctrinâ cœlesti. Et consuetudo aptè & in loco miscendi fabulam sermoni inter amicos, magnum decus est, & non solùm comitatis, sed etiam prudentiæ laudem affert. Vt nuper amicus quispiam in gravissimo sermone de Republica cũ stomacharetur, collegia quæ tenent amplissimas opes studiorũ tuendorum causâ, nihil ferè decidere inde ad fovendas scholas, hunc narravit apologum: Rusticus egens ac esuriens, in itinere Mercurium orat; ut sibi offerat aliquid mercium, quas jam in viâ relictas inveniat, ac pollicetur, dimidium se illius templo dedicaturum esse. Pergit rusticus dictâ prece bonâ

cum spe: cumque jam stadium unum atq; alterum emensus esset, invenit plenos calathos amygdalarum & palmularum. Etsi aviditati rustici ac spei non respondebat hoc munus, tamen fecit sapienter, quod dicitur: ὅτι δῶρος ἐπαίνει: boni consulit mercem nullo quæsitâ sumptu aut labore, properat igitur in forum, ut inde aliquid pecuniæ lucretur. Sed properanti occurrit Mercurius, ac priùs partiri prædam jubet. Hic callidè rusticus memorem se promissi fore, inquit, ad dimidium daturum, videlicet amygdalarum putamina, & palmularum nucleos. Tum abrumpens fabulam, ille inquit: Hoc modo Canonici cum scholis communes facultates partiti sunt. Hæc narratio non solùm illustri imagine pinxit scholarum & literarum neglectionem perniciosam vitæ communi, sed etiam narranti ornamento erat. Multùm profutura est consuetudo recitandi tales narrationes ad comparandam boni sermonis copiam. Hæc utilitas si sola peteretur, tamen magna esset: Sed accedunt aliæ, quod & judicium acuitur, & alitur rerum cognitio, hâc tantâ varietate imaginum, quæ ex tota natura sumuntur, & lepos affert comitatem, quæ virtus est magnum ornamentum hominis, & sæpè incensos odiis aut irâ, subitò lenit, sæpè mæsticiam pellit, & animos traducit ad

affe-

effectus utiles ijs negotijs quæ gerendæ sunt, ut de comitate sapientissimi homines multa præceperunt. Legent igitur & ament has fabulas Studiosi omnes, & ad eas tanquam ad speculũ, vitam conferant: quod si facient, animadvertent, doctrinam de multis rebus in vitâ necessarijs, in his imaginibus propositam esse. Benè vale, charissime fili, & feliciter discito literas & disciplinas Ecclesiæ Dei utiles.

Mense Martio.

PHI-

PHILIPPUS MELANCHTON CLARISSIMO VIRO Bernhardo Zieglero, Doctori Theologiæ, amico suo charissimo, S. D.

NEMO potest multa simul facere, eademq; rectè facere omnia, inquit Xenophon. Scis enim quid ille in ultimo libro institutionis Cyri sui disputet, vir profectò sapiens, cum quidam utatur, exemplis varijs officinæ, de bonitate epularum regiarum, quas suavissimas esse hoc argumento probat, quia singuli singulorum sint ciborum artifices, atq; concludit: ἀδύνατον εἶναι πολλὰ τεχνήμονα ἀνθρώπῳ πάντα καλῶς ποιεῖν. Verùm me non modò argumentatio elegantissima Xenophontis, sed m etiam miseriæ hoc docent: Qui dum multa scribo, vel incipio potiùs, nihil vel absolvere, vel certe perficere possum. Sed mitto tamen tibi προοίμιον προσφωνηθὲν filiolo tuo, quem istâ etiam ætate à te tali parente ad conspectum literarum nostrarum adduci scio. Hoc illi fortasse proderit, tibi quidem gratum esse consilium hoc nostrum necesse est. De toto autem scripto vos statuetis, an addendum hoc sit operi elegantissimo ac nitidissimo Joachimi nostri: Nam meæ orationis filium novistis, officium meum tibi probatum volui. Doctore Alexandro Alesio mitto scriptum levissimum & planè Ληρῳδες VVintoniensis, de quo litteris ad ipsum meum consilium significavi.

Bene vale. XV. Cal. Apr.

GAL-

GALLUS REPERTOR UNIONIS.

GALLVS Gallinaceus in Sterquilinio, dum fimetum eruit, unionem reperit. Quo conspecto: Quid mihi, inquit, tam pretiosâ re inventâ opus est? Me tritici granum oblatum magis juvaret. Nulli enim usui mihi esse potest. Neq; item ego tollere, & honorem ac ornamentum tibi conciliare scio. Ita in neutro alter utilitatem aliquam reperit.

Fabula dicitur ijs, quibus indignis sæpè fortuna splendorem & bona offert, quæ & ipsi sustinere nequeant, & sæpè etiam infamare soleant.

Lupus & Agnus.

STABAT supra agnum in ripâ fluminis lupus, qui cum vellet, si devoraſſet, illum hoc jure feciſſe videri: Cur tu, inquit, torvo vultu & minacibus verbis, sceleſte, puras undas inquinas? ut ad me deſluant turbidæ. Egene? inquit timens & trepidans agnus, qui infra te aſtiti, & à quo ad me illa referuntur. At enim maledicis, inquit lupus, neq; recordare, quam pœnam ob petulentiam linguæ, pater tuus perſolverit ante menſes ſeptem? Non ego tum, inquit agnus, procreatus fui. Scin verò lupus inquit, quàm vaſtum reliquerit nuper campum omnibus herbis nudatum? Nunquam hoc, inquit agnus, factum reperies: neq; ego omninò, cùm dentibus caream, facere potui. Tandem

lupus:

lupus: Tu quidem, inquit, satis dicaculus es & disertus, ego tamen lautè cœnare decrevi: Atq; ita correptum agnum devoravit.

Fabula narratur de impudentiâ facinorosorum.

Mus & Rana.

MVS ranam invitarat, cumq; illam in penum repletum vario genere escarum introduxisset, Mi ranuncula inquit, pascere hilariter, & exple te præsentibus bonis: nihil enim arbitror te desideraturum omnium, quæ gulæ apta habeantur. Rana invidens tantam felicitatem muri, quem videret in deliciis summis quotidiè vivere, cum ipsa in limo tabesceret: cupiens illum perdere, gratum simulat animum verbis, muremq; vicissim ad sese invitat, Sed non, inquit, pari apparatu te excipiam, nostras tamen etiam opes qualescunq; volo spectes. Cæterùm, quia tibi in aquis versari insuetum est, ne quo aberres, filo tuum meumq; calcem alligabo, atque ita domum nostram deducam. Placebat consilium stolido, adq; ranam annectebatur: quæ in paludem desiliens, & profundum petens, illum miserum & serò sapientem, sub undas perituram unò trahebat. Qui cum cerneret se suffocandum: Ego quidem, inquit, tam indignam mortem ulcisci non potero, hoc tamen scio, ultore me non caritурum. Rana eo sermone nihil movebatur. Post breve tempus, super aquas murem natantem milvius videt, quem dum in cibum sibi aufert, appendentem etiam ranam attrahit, & vivam post murem dilaniat.

Hanc

Hanc fabulam alij ita exponunt, ut narrent, Bellum quodam tempore geßisse murem cum rana, atq; fuisse insidiatum muremi, hujus autem insidias repulisse ranam viribus suis. Cum autem uterq; in alterum ut hostem intentus, nihil præterea cogitaret aut metueret involasse in bellatores milvium, & correptos ambos illos devoraße.

Fabulâ hac subijciunt atq; monent, non pati Deum sceleratam audaciam esse impunitam, & hanc esse factionum naturam, ut per ipsas ad interitum ac perniciem civium via aperiatur externis hostibus,

De Cane & frusto carnis.

FEREBAT canis secundum flumen decurrens, raptum alicundè carnis frustum, cujus imago cum in aquis appareret: Canis avidus, illam quasi alterum frustum undis innatans, appetit, sed dum pandit rictum, ut assumat, id, quod tenuerat, amittit.

Docet fabula, avaritiam & infinitas cupiditates detrimentosas esse.

Leo, Juvenca, Capra, Ovis.

SOCIETATEM junxerat Leo, Iuvenca, Capra, Ovis. Partâ autem præda, in portiones æquales quatuor divisâ, Leo. Prima, ait, mea erit: Debetur enim hæc præstantiæ meæ. Tollam & secundam, quam meretur robur. Tertiam vendicat sibi eximius labor & defatigatio mea. Quartam qui suam esse voluerit, ut sciat, se habitu-

habitarum me inimicum. Quid facerent imbecilles bestiæ, aut quis refragari leoni, vel illum infestum habere sibi vellet? Vniversam igitur ipse prædam solus tenuit.

Hac fabulâ docemur iis, qui potentum consuetudine implicentur, & insolentiam horum ferendam esse.

Lupus & Grus.

IHÆSERAT os in faucibus lupi, mercede igitur conduxit gruem, qui inserto rostro in rictum suum os de faucibus extrahat. Hoc longi[illegible]ine colli facilè grus effecit. Cum autem mercedem[illegible] postularet, subridens lupus, & dentibus infr[illegible]ns: [illegible]ibi, inquit, merces parva videtur, quod [illegible] incolume retuleris de lupi faucibus?

Fabula in eos dicitur, qui servati de malis erga salutis suæ auctores ingrati reperiuntur.

Agricola & Anguis.

REPERTVM anguem frigore penè mortuum agricola misericordia motus fovere sinu, & subter alas recondere. Anguis recreatus calore, vires recepit, ac confirmatus, agricolæ pro merito ipsius summo, lethale vulnus inflixit.

Fabula demonstrat eam mercedem, quam rependere pro beneficiis malis consuevere.

Aper & Asinus.

OBVIAM factu apro asinus crebros cachinnos crudens,

erudeus, etiam familiariter illum compellare non dubitavit: Salve mi fratercule, inquit, salve: Quamdiu est, quod te his in locis non aspicimus? ubinam gentium moratus? & percontari deinde, nunquid afferret novi? quid narraret? Postremo etiam suam operam illi deferre, & rogare, nunquid vellet? Aper cum irritaretur ineptiis stolidi aselli, iratus, caputq; quassans: Non tamen ego, inquit, fatui istius sanguine contaminabo fauces meas, & præterit relinquens ignavum & vecors animal.

Fabula duo monet, alterum ut potentiores veniam interdùm dare stulticiæ dicant: alterum, ne contra præstantes se stolidè humiliores inferant.

Duo mures.

OLIM mus rure genitus & educatus, urbis alterum murem incolam habitatorem ad se invitavit, eumq; deductum in nequaquam splendidum cavum suum, quamvis esset ætate & curâ ad rem attentior, accipit tamen liberaliter, neq; in sua paupertate quæsitis parcit, sed omnia promit benignè & libenter. Apponit igitur hospiti cicer, quod pridem ad festos dies celebrandos & lautiores epulas sepositerat. Substernit illi avenam, avarum pleroſq;, sed & alios quosdam acinos aridos profert: tum etiam frustula succidiæ. Cupiebat enim omni ratione opiparam cœnam dare hospiti, & varietate vincere singulorum fastidium. Atq; hic superbè & contemtim arrodere dapes, cum paterfamilias ipse in recenti palea accumbens,

bens, farre & lolio pasceretur, & cibos unctiores magúq; delicatos relinquere hospiti. Qui tamen neq; studium, neq; voluntatem illius boni consulens: Quæ, inquit, stulte, dementia est? at hæc sola loca silvarum atq; montium incolere in omnium rerum penuriâ libeat? An non venit in mentem tibi, mortalem vitam omnibus animantibus naturam esse largitam? in quâ, dum durat, si tibi benefacias, tamen esse hoc haud longinquum: Si verò occasionem istam amiseris, nunquam in morte postea eandem oblatum iri. Quod si fortè miseriæ, & famis, atq; hujusce cultus, & victus asperi pœnitet, âge in urbem te mecum, & ad homines confer, ubi in summâ copiâ degere, & maximis voluptatibus perfrui possis. Movêre ista animum rustici muris, & mox, Imus igitur, inquit. Profecti igitur cum strenuè reptassent, venere tandem ad urbem:

Iamq; ferè mediam cœli nox humida metam
Contigerat, fusiq; urbis per mœnia cuncti
Conticuere, sopor fessos complectitur artus:

Cum domum subeunt hominis divitis, & omnium rerum copiâ abundantis, in quâ manebat urbanus musculus. Atq; ibi inductus rusticus in triclinium collocatur super auratos eboratosq; lectulos, qui purpuratis & conchiliatis vestibus essent instrati. Ipse de reliquis, quæ erant variè & multiplices, agitati pridie illius diei convivij, afferre sedulò bellissima quæq;, & ministrare studiosè hospiti, utq; hilarè vescatur iis, quæ maximè placeant, hortatur. Rusticus inter hæc beatum se putare, & in summâ lætitiâ lautissimis cibis sese replet, eamq; vitam expetendam, suam miseram

feram esse prædicat: cum subitò fores strepunt, & cardines sonant, hominumq; & canum voces exaudiuntur. Ibi convivæ masculi discurrere & trepidare: inprimis autem rusticus, cui, ut externo, omnia essent insueta & ignota, tandem reddito silentio, & turbâ sedatâ, tremens toto corpore & subsiliente corde rusticus: Non mihi placet hæc vita, & vale, inquit, amice. Ego intra silvas & montes ad tenuem victum & erumnas meas revertor. Malo enim in securitate pauper, quàm in opulentiâ maximâ sollicitus semper & anxius vivere.

Docet fabula, optimum esse, ut quisq; suâ sorte contentus vivat. neq; splendore fortunæ ad curas & anxietates occultas invitari se patiatur. Hanc Horatius fabulam copiosè versibus descripsit libro 2. Satyra 6. quem locũ nos quasi reddere studuimus expositione nostrâ.

Aquila & Cornix.

FErebat unguis testudinẽ aquila, quã rostro sæpè frustrà tundebat, perfringere enim non poterat. Huic occurrens cornix: Consilio, inquit, opus est hera; non enim vires omnia conficere possunt. Puto enim & te audisse quod fertur:

Cõsiliũ est melio quã vis, tùm ligna secãtur,
Consilio incolumẽ sæva inter flumina navẽ
Ventorũ, motis pelagiq; gubernat in vndis:
Consilio celeres superãtur in æquore curro.

Consilio igitur & ratione tu quoque potiere escâ intra

testam abdita, non vi. Quid igitur suades, ut faciam? inquit aquila. In altissimas cœli plagas subvolabis, inquit cornix, atq; inde demittes in hanc rupem testudinem, ita afflicta ad saxum rumpetur testa & caro nudabitur. Paruit aquila, & ita, ut consuerat cornix, fecit, ac testudo quidem comminata, sed cibo aquila fraudata fuit. Nam priusquam illa devolare posset, cornix devorauerat omnia.

Docet fabula, calliditate consiliorum minutissima quoq; expugnari.

De Corvo & Vulpe.

SVSTVLerat corvus alicunde caseum, & cum illo in tam arborem subvolaverat. Vulpecula, quæ caseum concupiisset, ita illum adorta callidè fertur, cum primùm formam & nitorem pennarum & laudes augurij collaudasset. Planè, inquit, te summi Jovis volucrem esse dicam, si audiero etiam vocem & cantum dignam reliquis virtutibus tuis. Corvus laudibus vulpis inflatus, clamorem edere quàm maximum posset. Ita de aperto vestro delapso caseo potita vulpes, irridens illum: Nihil, inquit, tibi deest corvè præter cor.

Fabula docet, assentationes & deridendos & eo nedendos alijs, ut Terentius ait, exponere eos, qui illis delectentur.

Leo senex.

LEo confectus senio vix debilia membra trahens, amissis viribus ab animantibus reliquis non modò contemtus, sed altrò etiam appetitus fuit usq; adeò, ut asellus etiam inertis-

inertißima beſtia, calce ferire miſerum non reformidaret. Tum fortunam ille deplorare ſuam, & meminiſſe, quantò olim robuſtiſſimis quoq; belua terrori fuiſſet, quæ nunc ea contumelia, conſumto robore, affligeretur.

Fabula potētes & honores atq; magiſtratus cōſecutos hortatur, ut ita ſe in illis geredis teneant, ne cùm vel fortuna mutata, vel vi[illegible] fuerint, aliis ipſi ludibrio ſint.

Aſinus & Catulus.

[illegible] aſinus amanter complecti patremfamilias catulum, [illegible] inſiluerat in gremium illius. Idem & ipſe igitur ſpe[illegible], ſi pariter aſſultaret domino, eventurum ſibi in illum [illegible] infert, & ut rebatur, abblanditur hero. Sed hic ineptias & perverſum ſtudium repulit, & fuſtibus correxit ſtulticiam illius.

Docet fabula, ne affectemus ea, quæ natura negav[illegible] ve obtrudamus invitis officia noſtra.

Leo & Muſculus.

Aſci[illegible] diſcurrentes circum leonem dormientem muſculi, unum ita agitavere incurſione ſua, ut in dorſum beſtiæ deferretur. Qui à leone captus, deprecati vitam ſuam, & excuſare imprudentiam facti. Leo etſi erat commotus, ignovit tamen muſculo, & tam contemptum animal culum inviolatum dimiſit. Paulò poſt incautius prædam veſtigans, in laqueos incidit, quibus adſtrictus fugitum maximum edidit, ad quem procurrens muſculus,

cernensq; in vinculis eum, qui sibi dudum vitam petenti concessisset, gratiam pro beneficio relaturus, accedit ad laqueos, & illis corrosis, leonem omni periculo liberat.

Docet fabula, & nullius exiguitatē atq; impotentiam spernendā, & gratiam beneficijs referendam esse.

Corvus.

Corvus gravi morbo laborans: Mater, inquit, deos interpella pro salute mea, & lachrymis tempera. Cui respondit mater: Vereor, ut meas preces ullum numen exauditurum sit. Nullius enim tu victimis unquam pepercisti.

Fabula docet, quibus secūdis rebus plurimi fuerint inimici, eos non facilè amicos in adversis reperire.

Hirundo & Aviculæ.

Cum linum sereretur, monuit reliquas aviculas hirundo, secum ut eruerent semina, de quibus relictis, exoritura esset herba nocentissima avium generi. Sed hoc illis cū non probaretur, rursus enatam primùm & teneram herbam ut evellerent, hortatur. Cū verò neq; hoc facere vellent, ipsa de illis & solitudinibus, ad hominum consuetudinem, & in oppida se contulit. Paulò pòst maturum linum carpitur, & retia nectuntur, & capiuntur aviculæ serò deplorantes neglectionem salutaris consilij.

Fabula ostēdit, verū esse quod dici solet: Qui liū bonū resouat, eū accersere pernitiē sibi. (cōsi-

De Ranis & Jove.

Petiisse quodam tempore à Jove ranæ dicuntur, sibi

sibi ut regem præficeret. Exoratus Jupiter, trabem ingentem in lacum dejecit. Quo sonitu turbatæ ranæ, refugere primùm, mox tamen speculari, quid accidisset. Cumque trabem aspicerent natantem in aqua, subitò in illam invasere, cum magno contemtu, & per risum salutant, appellantes regio nomine. Tum Jupiter immisit illis anguem aquaticum Hydrum vocant. A quo cum capti manderentur, seriò stulti voti dementes ranunculos pœnituit.

Fabula monet, ne, cui fortuna libertatis usũ concessit, is servitutis jugum induat.

Milvius & Columbæ.

Milvij metu accipitrem adsciscunt columbæ, à quo defenderentur. Accipiter admissus, & quasi contumaces castigans, plus stragis uno die in columbari edidit, quã longo tempore evolantibus dare milvius potuisset.

Indicat fabula, malorum & crudelium patrocinia esse cruenta.

Fur & Canis.

Fur allatranti cani afferebat panem. Cui Canis: At nunc ego, inquit, satiatus, cum tu domum nostram compilaveris, me silente unde mihi mox cibum petam, aut quomodo sedabitur fames mea?

Fabula docet, cavendas fraudes fallaciũ, neque facta illorũ, sed consilia esse. Referri & ad illud potest, quod à Jurisconsultis memoratur: Tolle voluntatem, nec erit discrimen in actu.

Quæ

Quæ sententia in convivio Platonis elegantissimè memoratur. Exposita & à Gellio lib. 17. cap. 20.

Scrofa & Lupus.

A[illegible]dens ad scrofam parturientem lupus, obstetricis se munere functurum pollicetur. Cui scrofa, metuens [illegible]culis suis, si ede[illegible]entur lupo præsente: Imò tu obstetricem, inquit, adducito: nam pu[illegible]ore prohibeor, quo min[illegible] in tali re virili ministerio utar. Atq; ita ablegato lupo enisa numerosum fœtum, in tuto hunc collocat, & paulò post reve[illegible]m lupum deridet.

Fallaciũ injurias sæpè fallacijs repelli, [illegible]tur.

Mons parturiens.

MON[illegible] tumens & [illegible] gen[illegible], quasi partus instaret, maximos metus & [illegible] incusserat humano generi, cu[illegible] subitò mus prodiit. [illegible] anxietas hominum in risus [illegible]t.

Indicat [illegible] expe[illegible]ationem singularẽ ad maxim[illegible] pè nu[illegible] [illegible]cidere. De qua re in prov[illegible] di[illegible] Horatianus versus solet. *Patturiunt m[illegible]tes, nascetur ridiculus mus.*

Canis senex.

BOna & lau[illegible]bili opera canis perstrenui usus aliquantisp[illegible]enator fuerat. Deficientibus autem jam viribus

ribus, & debilitatis membris, nihilo secus ille tamen ab hoc alacritatem & cursus pristinos requirebat, & verbis atq; verberibus cessantem urgebat. Cui canis: Quàm citò oblitus meritorum meorũ, inquit, ita in me sævus es, neq; mihi prodest quicquã, quod benefecerim, cũ facere posse desierim.

Fabula reprehendit hominum pravitatẽ, in beneficijs obliviscendis. Dicitque idem, quod versus Homericus:

οὐκ ἐςὶ χάρις μετόπισθεν ἐνεργέων: Id est, Benefacti gratia rara est. Itaq; Ovidianum hoc: Nil nisi quod prodest, carum est.

Lepores Ranæ.

LEpores quondam in conventu de miseria & fortuna infelice vitæ suæ conquesti, quod à bestiis iuris & ab hominibus impugnarentur, nam & [illegible] aquilis, & omnibus propemodum feris carnivoris se[illegible]ptioni & prædæ esse, dum sibi mortem ultrò conscisceret, esse decreverunt. Statuebant enim, multò esse satius semel interire quã sempiterna formidine agitari. Itaq; re probata universis, ad proximam paludem cuncti impetu maximo ferebantur, ut in aquis demersi suffocarentur. Ranæ autem, quæ fortè in herbis juxta paludem enatis incubabant, incursione leporũ territæ, subitò omnes in paludem se fugientes demisere. Tum unus inter lepores, ut reliquis sapientior: State, inquit, socij, neq; in vos ipsos gravius quicquam consulite. Nam nos quoq; ut videtis, quædam animantes metuunt, quas scilicet esse miseriores nobis oportet.

Fabula ostendit, afflictis aliorum miserias solatio esse.

Exponitur autem ab alijs hæc aliter hoc modo: Excitari sæpe periculis animos, & quid quisq; possit, in discrimine demùm intelligi. Hæc narratio est talis: Territi lepores silvarum strepitu incitatissimo cursu aufugiebant illo de loco, fugientibus obstitit palus, in quam demergerentur trepidæ ranæ. Tunc unus natu grandior, Cum tanta, inquit sit velocitas pedum nostrorum, cur non potius murmura illa silva contemsimus, quàm metuimus?

Lupus & Hœdus.

EXiens in pascua capra, imperat hœdo, ne cui caulæ fores ante vesperam pandat. Vix fuerat profecta, cum advenit lupus, & in quantam exilitatem poterat, deducit vocem, ut capræ similis videatur, & aperire sibi postulat. Cui hœdus, fraude intellectâ: Imberbes, inquit, animantes admitti mater vetuit.

Docet fabula, salutem cõservari juventutis, obsequio & obedientiâ parentum & magistorum.

DeCervo & Ove.

PETEBAT ab ove debitum frumentum cervus, idq; teste lupo. Ovis territa fatebatur à se deberi illi frumentum, & præfiniri diem passa est, qua persolveret. Et cum advenisset, instanti cervo, ut frumentum curaret sibi afferendum: Quare, inquit ovis, mi cerve in granarijs divitum: nam mihi nullum est conditum domi meæ. Promisistin, inquit cervus, te hoc die redditurum mihi frumentum, confessa deberi? Ita factum, inquit ovis, tum Pelli metuebam meæ.

Fabula

Fabula docet, quod vi gestum contractumq; sit, ratum haberi non oportere.

Anguis & agricola.

IN vestibulo agricolæ caverna erat, quam incolebat anguis: hic puerum illius parvum, à quo non provisus calcatus esset, ictum veneno jugulavit, atque conscientia facinoris in cavernam statim serpendo se recepit. Pater dolore maximo ob mortem filij affectus, bipennem arripit, & ante fauces cavernæ assistit, obtruncaturus proserpentem anguem. Huic vero, cui in memoria hæreret perpetratum facinus, egredi cautè, & prius circumspicere omnia. Sed agricola vindictæ cupiditate festinans, plagam in anguem vix tum apparente capite summa vi infert. At hic celeriter illud reduxit, & mortem subterfugit, & bipennis in saxum impacta, signum impressit iræ & indignationis agricolæ. Paulò post hortante uxore illius, cum angue ut reconcilietur, apponit ante cavernam panem & salem, & evocat anguem ad componendam pacem. Cui anguis: Nulla inquit, firma pax fieri poterit, donec & bustum filij tui & istud signum tam violentæ plagæ in saxo appareverit.

Significat fabula, non oblivisci homines, neq; deponere odia nec cupiditatem vindictæ, quamdiu vestigia extent malorum, quibus affecti fuerint.

Vulpes & Ciconia.

Vulpes ciconiam cum invitasset, apponit illi jusculum catill : hanc ipsa liguriens, hortatur per jocum ciconiam, ipsa quoq; ut vescatur, & boni consulat quod appositum sit, præsentiq; copia fruatur. Quid faceret ciconia, quæ se fraudari cibo, & deridiq; cerneret? Nihil igitur, inquit, requiro, & curata omnia sunt laute & abunde. Sed ut gratia tibi referatur, venies ad me hinc cœnatum perendie. Quid opus est, inquit ludificans vulpecula? Noli de mea causa sumptus facere. Cur, inquit, tàm gravatè? Promitte verò. Fiat, inquit vulpes, si aliò vocata est opera. Abit ciconia, & vasculum sibi parat vitreum oblongum, & collo angustiore, in quod optime & delicatissimas escas indit, & vulpi, quæ ad cœnam venerat, proponit. Tum ipsa glutire bellissime ibi jubereque vulpem edere, & paratis libenter uti. Vulpes se benignitate acceptam ea, quæ nudiustertius ciconia ipsa accepisset, Nihil, inquit, discedens, queror. Nam qui alios fallere volunt, ipsos quoq; falli interdum oportet.

Ostendit fabula, circumventiones & dolos plærumque, reverti ad auctores illorum.

Vulpes.

In statuariæ officinam irrepserat vulpecula ac contemplando diversi generis & variæ formæ effigies, magnam voluptatem capiebat. Inter omnes tamen una mulieb[ris] corporis statua imprimis illam delectabat, ad quam & ac-

& accedere & sermonem instituere, & blandißimè alludere. Sed statua immobili persistente, vulpe indignata. Quàm formosa, inquit, facies, cerebro caret.

Notantur hac fabulâ splendidi & conspicui cum corpore, tum fortunis, sed stolidi & vecordes. Et videtur auctor hujus allusisse adversum Ho[illegible]um od. θ. de Venere.

Οὕνεκα ἡ καλὴ θυμαρτὴρ, ἅπας οὐκ ἔχε θυμῶ.

F[illegible] pulcra quid[illegible]uic est, sed mens deficit illam.

De Cornice superbiente aliarum avium pennis.

CORNICVLA collectas pennas de reliquis avibus sibi commodaverat, & superba varietate illa, reliquas [illegible]nes præ se aviculas contemnebat. Tum fortè hirundo [illegible]ata sua penna, advolans illam aufert, quo facto & re[illegible] p[illegible] aves quæq; suam ad[illegible]re cornici: ita illa risum mo[illegible] omnibus, furtivæ nudata coloribus, ut ait Horatius.

Significat fabula, commendicatam [illegible]eciē neq; diu durare, & perle[illegible] momēto di[illegible]olvi.

Musca & Formica.

PRÆFERENS se formicæ m[illegible] ill[illegible] [illegible]ijcere verbis, & se [illegible]ollere. Vide enim, inqu[illegible] [illegible]anta sit humilitas tua [illegible]eva loca terrarum incolis, [illegible]rpetuò humi reptas, m[illegible]o cum labore tenuem victum [illegible]ens. At me alæ in sub[illegible]me ferunt, & accipiunt mensæ regiæ: auro &

argen-

argento ego eadem bibo, delicatissimis cibis vescor, purpurâ incubo: Quin etiam mollissimas sæpè genas formosarum deosculor. Fastidiosæ & insulsæ opinione felicitatis respondit Formica. Etiam hoc adde, improbitatem tuam invisam & odiosam esse omnibus, contra te fabellas & venena parari. Idemq; hoc, media anni parte durare hanc beatam vitam tuam, dum sol fervet, hyeme & frigoribus statim occidere. At ego æstate mediocri labore exerceor, ut hyeme quietam & securam vitam possim degere.

Fabula hæc ait, qui, quæ vult, dicit, ea, quæ nō vult, audit. Et hoc: Non esse in parvis comodis, sed sine magnis incommodis vitā beatā.

Rana crepans.

CONspicata bovem opimum rana, etiam se posse exæquare magnitudinem illam, si contractam & rugosam pellem explicuisset, sperabat. Cum igitur se inflaret, rogat suos ranunculos, quam longè à bovis mole abesse videatur. Per, inquiunt illi nostra matercula, permultum. Tum inflare se illa vehementius, & quæ videatur, rogare rursum. Tibi unus, ut Horatius loquentem fecit, de pullo: Non si te rupero, inquit, par eris.

Stulticia reprehenditur eorum, qui aspirant ad non sperandam excellentiam.

Lupus & Asinus.

CONSPECTUM in pastu asinum devoraturus lupus, exoratur ab illo, ut prius spinam extrahat defixam in gutte pedis posteriori. Sed dum lupus post asinum abit,

abit percussus, & vertigine obortâ humistratus, facultatem dedit asino aufugiendi, postea reversus ad se: Coquus, inquit, qui essem, cur medicinam faciebam?

Fabula ostēdit, vix sine dāno fieri, ut omissâ arte quā quisque novit atque didicit, ad aliā factitandā aggrediatur. Hāc fabulā alij narrāt de equo & leone profitēte medicinā eodē sesu.

Asinus & Equus.

Videbatur asino beatus esse equus, quitàm accuratè & copiosè pasceretur, cùm sibi ne paleæ quidem post maximam defatigationem abundè præberentur. Fortè autē bello exorto, cū in prælio ab armato equus ageretur, & circumvētus ab hostibus, post multiplices labores pugnæ tandē saucius collaberetur. Hæc igitur omnia conspicatus asinus, quem paulò ante fortunatam esse equum censuerat, tàm miserum & infelicem tùm esse judicabat.

Docet fabula, nō esse principatꝰ & opes propter splēdorē appetēdas, sed id cōsideratiōe invidiæ & discriminū, in quibꝰ principes & opulēti versātur, boni cōsulēdā tenuē fortunā & mediocritatē vitæ. Itaq; & Plato, Ulyssis animā elegisse, ait, vitā hominis privati & nō negotiosi, neglectis omnibus alijs honoribus & opulentiâ, potentiâq; præclaris.

Vespertilio transfuga.

BELLUM petebant bestiæ cum volucribus: cumq; videre.

videretur victoria ad has sese inclinare, ut vespertilio, quæ eventum exspectarat, neq; alterutri parti, adhuc se applicuerat, cum bestiis conjungitur. Mox fortunâ mutatâ, ut hæc est belli varia, vincentibus virtute aquilæ volucribus, ad aves illa revolat. A quibus, ut transfuga, nudata pennis ab avium convictu exclusa, & ad nocturnos volatus damnata, pœnas dedit perfidiæ.

Contra mendaces, & subdolos ac perfidos, hæc fabula composita est.

Lupus & Vulpes.

Copiosam prædam lupus in antrum congesserat: accurrit vulpes, & blandè illum compellat, & gratulatur adventu prospero illius: Diu enim, inquit, à nobis abfuisti, & solicitos habuisti mora reversionis tuæ. Lupus vulpeculæ assentatione sua aliquid de præda sibi quærere intellige: Benè, inquit, habes, tibi tamen partem aliquam non petam. Falsa spe sua vulpes, & ad iram & vindictæ cupiditatem conversa, accedit ad pastorem, & heus tu, quid mihi dare vis, inquit, si nunc tradidero in manum tuam sempiternam hostem gregis tui? Omnia, quæ vellet, promittente pastore, paucos caseolos paciscitur, & illum ad specum lupi armatum deducit, qui facilè hunc interemit. Postea vulpem venientem petitam mercedem proditionis accersitis ad tempus destinatum venatoribus objecit. Itaq; illa sibi interitum imminere videns: Hoc, inquit, divinum certè est judicium, ut ego, quæ alterum fraude perdidi, fraude circumventa inteream.

Fabula

Fabula narratur contra invidiam, & docet, malos malè perire.

Lupus & Hircus.

Hircus evaserat lupum insequentem in rupem, in quam pervenire ille non posset. Ubi aliquantisper lupus cum obsedisset eum, tandem fame depulsus, sitienti tum hirco ad fluvium vicinum descendendi facultatem dedit. In fluvio autem cornua procera, & crura levia contemplatus hircus, placere sibi, & se incusare, qui lupum fugisset. Lupus stultum immorante in fluvio, & aspectantem imaginem suã, clanculum adortus comprehendit, & jam frustra deplorantem suam vanitatem adsportat adẽ devorat.

Contra stulticiã superborũ fabula narratur: Simili quidem illa prorsus sensu, & de cervo laudante speciẽ cornuũ apparentiũ in aquâ, & posteà damnante illâ, cum fugiendum esset per densam arboribus silvam.

Felis.

Irrepserat in officinam excusorũ, seu felis, seu vipera, ibiq; repertã lenã lingere cœpit. Cumq; sanciata de lingua cruor manaret, gaudens illa cvẽtu quod crederet ferrũ à se lacerari, nõ fecit lingendi finẽ, donec tota lingua absumeretur.

Fabula dicitur contra eos, qui cupiditatib⁹ & pertinaciâ suâ seipsos damnis afficiunt.

Luporum & Ovium pax.

CVM lupis bellum gerebant oves, atque illæ adjutæ auxilio

auxilio canum, semper pares, sæpè etiam superiores erant, Lupi victoriâ desperatâ, ad oves legatos mittunt, qui pacem petant. Conditiones ferebant, canes lupis ut obsides darentur ab ovibus, ipsæ catulos luporum acciperent. Cum de omnibus convenisset, pax jurisjurandi religione firmatur. Paulò post securis ovibus cum fortè ulularent catuli luporum, illi in miseras & destitutas omni ope, quasi violatrices pacis, qui injuriâ obsides acceptos affecissent, irruunt, & ita prius impunè illas rapiunt atq; vorant.

Monet fabula, ut eos, à quibus defendi nos scimus, diligenter colere velimus.

Securis & Ligna.

FActæ securi petit à silva manubrium lignator, silva ad eum usum dedit stipitem oleastri. Tum instructâ ad cædendum securi, silvam lignator populari, & arbores truncare. Ibi fertur fraxino dixisse quercus: Feramus æquo animo, soror, malum quod ipsæ nobis accersivimus.

Fabula monet, ne armemus cõtra nos hostes nostros.

Venter & Membra.

INquiunt quodam tempore membra: Nosne te venter ita semper ociosum alimus ministerio nostro? Non faciemus. Sed dum ventri cibus subtrahitur, totum corpus debilitatur, & membra serò pœnitere cœpit invidiæ.

Fabula narratur contra seditionem, & cõtra societatis violationem, exposita eleganter à Livio.

Simius

Simius & Vulpes.

MEa vulpecula, inquit Simius, da mihi de cauda tua, tam grandi & onerosa tibi, portiunculam, quâ tegam patentes nates. Quam grandi? inquit vulpes. Quod si illam esset necesse plaustro post me subvehi, tu tamen nunquam uno hujus pilo vestitior fieres.

Fabula hæc malignitatẽ locupletũ notat.

Cervus & Boves.

EXagitatus à canibus ad Boves confugit cervus, orans ut se degere velint, & apud se delitescere patiantur. Non repudiant preces illius boves, sed monent, ut de tutioribus latebris sibi prospicere velit, ajuntq; veteri se, ne in stabulo deprehendatur. Omne se periculum subiturum affirmantem recipiunt, & fœno atq; stramine obruunt. Advenit paulò post villicus, & negligenter ad boves respicit atque abit. Lætus cervus, se omne discrimen evitasse sperat: sed cognoscit à bobus. mox affuturum ipsum villicum & agrorum dominum, cujus diligentiam & inspectionem si evaserat, tum sibi certò salutem posse polliceri. Venit igitur paterfamilias, & ob malè curatos boves indignatur, & quo quidq; conditum ac repositum loco sit, cognoscit & aspicit, ad pleraq; etiam manus ipse admovet. Inter hanc curam & attentionem apparent cornua cervi, & ipse latens intra stramẽta & à gaudẽte patrefamilias cæditur.

Fabula docet, qui ad alienos cõfugiãt, si servent, singulari hoc fortunæ beneficio fieri, itaque malũ haud ferè evadere. docet etiã,

diligentē curā & considerationē rerū suarū unicuique esse fructuosā, & nisi aspectu heri domꝰ illustretur, omnia esse in caligine & tenebris, secundū hanc Æschyli sententiam: Est domꝰ oculus, assidua heri in domo præsētia, Et præclarè Plinius hoc scripsit: Ira est profectò, operâ nō impensa, cultura constat. Et ideò majores, fertilissimū in agro oculum domini esse dixerunt: eadēque sententia ex Aristotele citatur.

Leo & Vulpes.

Leo senio confectus, cùm vires non suppeterent ad victū parandum, callidum cœpit consilium sustentandi vitam. Itaq; in antro quasi periculoso morbo correptus decumbens, quod ad ipsum visendum passim animantes reliquæ advenerint, prehensas illas devorabat. Atq; ita magna bestiarum multitudine à leone absumtâ, accedit tandem & vulpecula ad antrum, & ante illud subsistit, hæsitans atq; circumspectans. Tum leo, quid cesset, cur non adeat ad se, rogat. At illa id, quod Horatius versibus retulit, respondisse fertur:

Quia me vestigia terrent,
Omnia te adversū spectātia, nulla retrorsū.

Fabula docet, prudentes ante pericula cavere sibi, & ea signa, quibus mala portendantur, notare, & hæc effugere.

Vulpes

Vulpes & Mustela.

Vulpes irrepserat in frumenti cameram per angustam rimam, quod valdè macilenta esset, & corpore attenuato fame. Repleta autem, cùm eâdem se recipere & egredi vellet, non magis patuit exitus distento cibo. Tum nitentem & urgentem fugam, conspicata mustela monet, ut sic exire studeat quemadmodùm intraverit. Macie enim pristinâ recuperatâ, tum demum evasuram illâ, qua subüsset.

Horatius ad Mœcenatem fabulâ utitur significatione: Qui à divitibus & potentibus locupletentur, eos intelligendum se in carcerē includere obsequij illorū, neq; inde, nisi partorū cōmodorū amissiōe, liberari ferè posse.

De Equo & Cervo.

Tenuerat equus pratum aliquantisper solus, postea cùm in illud & cervus ventitaret, & pabulum consumeret, cupidus ille vindictæ, quærit ab homine, utrum ope ipsius adjutus, injurias cervi ulcisci possit. Cui respondit homo, Posse, frenum si recipiat equus, & se conscendi patiatur ab armato. Annuente autem equo, tantum abfuit, ut de cervo speratas pœnas sumere liceret, ut etiam ipse in servitute deinceps vivere cogeretur.

Fabula monet, ne cum ullo tàm graves inimicitias exerceamus, ut lædendi illius cupiditate, malum etiam nobis non dubitemus accersere. Horatius ita explicat:

Quisquis pauperiem veritus, potiore metallis

Libertate caret, dominum vehet improbus, atq;
Serviet æternùm, qui parvo nescíet uti.

Adolescens & Cocus.

Cum fortè propter cocum adolescentes duo versuti atq; furaces assedissent, occupato coco rebus suis, unus horum rapuit frustum carnis, & alteri tradidit, qui demisit in sinum. Cocus postquam ad carnes respexit, & abesse aliquid sensit, qui sciret affuisse præter duos istos neminem, repetere ab illis amissum frustum cœpit. At is qui de altero acceperat, dejerare, se non abstulisse, qui verò ipse sustulerat, penes se non esse. Cocus intelligere improbos esse & veteratores: Et mihi quidem, inquit, quid factum sit ignora, verba dare potestis, Deum autem profectò non falletis.

Deterret fabula à fallacia & fraude sermonis & pjurio: nihil enim horũ nõ manifestũ Deo est quãvis fortè hominũ animadversionẽ effugiat.

Canis & Cocus.

Canis in culinam introgressus, occupato coco, neq; animadvertente, corculum pecudis rapuit, & aufugit. Quem ha verbis cocus fertur esse persecutus: Age, nunc hoc abstuleris impunè: sic tamen habeto, te posthàc ubicunq; conspectus sis, cautiùs à me observatum iri. Non enim cor abstulisti à me, sed cor mihi attribuisti.

Id fabula docet, quod apud Herodotũ Crœsus loquitur, Rebus adversis intelligentiam excitari.

Canis & Ovis.

Postulabat in judicio canis ovem debiti, quod repeteret mutuum

mutuum modiorum trium frumenti, testimonium dicebant lupus, milvius, accipiter. Victa ovis & condemnata, sola enim erat, & planum fecerat testibus, deberi sibi frumentum canis, quamvis non deberet, coacta judicatum solvere, ante tempus tonsuræ vendidisse lanas dicitur, quarum pretio frumentum mercaretur, & cani satisfaceret.

Fabula docet, à malitia potentiorum nullius innocentiam tutam esse.

Hœdus & Lupus.

Cum lupũ evasisset Hœdus, & confugisset in caulam ovium: Quid tu stulte, inquit ille, hic te salvum futurum speras, ubi videas quotidiè ad cædem lupi pecudes, & mactari diu? Non curo, inquit Hœdus: nam si moriendum sit, quantò præclarius mihi fuerit, meo cruore respergi aras deorum immortalium, quam irrigari siccas lupi fauces.

Significat fabula, mortẽ communẽ & paratã omnibꝰ cũ honestate & laude cõjungi oportere, si fieri ullo modo possit, pertinetq̃ huc memorabilis sentẽtia, quæ est posita in detẽsione Ctesiphontis: Finẽ & exitiũ vitæ mortẽ universis esse propositũ, neq̃ si in cavea incluſus aliquis asservandũ se curet, ideò latere illum morti posse. Bonos autem & fortes viros virtutem colere debere, in optima quidem spe eventuum, sic tamen paratos, ut ferant fortiter, quæcunq̃ Deus immiserit.

Narratur fabula etiam hoc modo: *Commiserat ovis agnum custodiæ hircorum. Vbi cum esset tutus à vi lupi. Quid tu, inquit lupus, hic potius apud olidum gregem victitas, & salebrosa loca sequeris, quàm apud tuos amœnis in pratis pascua opima carpis? Cui agnus, Mater, respondit, mea, hic me manere jussit, & contra voluntatem suam hinc recedere vetuit.*

Fabula docet, observationem eorum, quæ præcipiunt parentes, juventuti salutarē esse.

De Homine & Fele.

Habebat in deliciis felem adolescens: eam ut in puellam converteret, cum Venerem exorasset, lætas nuptias celebrat. Aderat & Venus convivio: Hac volens periculum facere, cum formâ ne etiam animum priorem exuisset, emittit in medium murem. Ad hunc intusta sponsa, quæ inter virgines exornata assederat, commoveri quidem admodùm, sed se tamen reprehendere & continere. Tum Venus alterum musculum emisit: Quo viso ista, non magis apud se exilire, & oblita omnium, musculum insequi cæpit. Ex eo intellectum, difficulter, vel potius nullo pacto naturam mutari posse.

Fabula docet, ingenitos mores & insitam mentem, nulla arte posse transformari.

Agricola & Filij.

Cum sentiret appropinquare sibi mortem agricola senex, cui domi esset soboles numerosa, sæpè ut fit, discordans

dans. ita studuit conjungere animos & sententias illorum: Apponit ante illos fascem virgularum aridarum & frangere jubet: cum non possent, distribuit singulis singulas virgas, isq; celeriter confractis.

Docere conatus fuit illos, quàm firma esset res cõcordia, & quàm imbecillis discordia

Narrantur & de pilis caudæ equinæ, & de fasce sagittarum similia.

Equus & Asinus.

AGitabat quidem equum & asinum onustos sarcinis. Deficiente autem in itinere asino & petente ab equo, ut aliqua parte oneris se levaret, si se vivum aspicere vellet, repudiavit equus preces illius. Paulò igitur pòst fatigatione & labore consumtus asinus in via corruit, efflavit animam. Tum agitator omnes sarcinas, quas asinus portaverat, atq; insuper etiam detractam pellem asino, in equum imposuit. Ibi ille deplorans fortunam suam, cum serò eum fastidij pœnituret: Me miserum, inquit, qui parvulum onus in me suscipere gravatus fuerim, cum nunc cogar tantum ferre accedente etiam pelle comitis mei, cujus preces tam superbè contemseram.

Docet fabula, si superiores cũ inferioribus operas suas communicent, hoc solere utriusq; salutare esse.

Carbonarius & Fullo.

CONDUXERAT perquam spatiosas ædes carbonarius, itaq; invitat fullonem habitantem angustius, ad

se uti commigret. Negavit fullo sibi hoc faciendum, neq; fieri omnino oportere. Quid enim nobis commertij, inquit, inter nos esse possit? cum, quæ ego forte eluendo vitida reddidissem, ea tu fuligine & maculis repleres.

Docet fabula, dissimilia non rectè conjungi. Itaque dicitur & proverbio veteri: Pares cum paribus facilè congregari.

Auceps & Anguis.

EXijt ad aucupium cum visco quidam & arundinibus, ac turdum forte in alta arbore sedentem conspicatus, intendere atq; construere calamos, & viscum allinere cœpit, defixus in turdo oculis atq; sæpe sua. Inter hæc miser anguem latentem in herba calcat, à quo irritato ictus, & letali accepto vulnere jam moriens: Me miserum, inquit, qui dū alteri insidias struo, ego circūventus & captus pereo.

Docet fabula, eos, qui alijs malè consulere studeant, sibi interdùm primis malum accersere, secundùm hanc Hesiodeam sententiā: Malum consilium consultori pessimum.

Tubicen.

TUbicen cantu suo concitatis aciebus, & prælio commisso captus: Ne me, ne inquit, vos interficite nemo enim vestrùm à me est occisus, quippe qui inermis nihil nisi tubam hanc ut videtis, habeam. At hostes, Ideo te, inquiunt, cupidiùs interimemus, quod pugnandi imperitus, alios ad pugnas & dimicationes incitare soleas.

Fabu-

Fabula docet, nocentiores esse eos, qui potentes instigent & irritent ad malefaciendū aliis, quàm privatos ullos, qui ipsi male sibi sint.

Canis & Lupus.

ADmirans lupus nitorem corpulenti canis: Quanta, inquit frater, felicitas est vitæ tuæ! Licet igitur, inquit canis, mecum in urbem venias, & eádem fruare felicitate. Dum una pergunt, animadvertit lupus in canis collo attritos pilos. Tum, Jugúmne etiam sustinendum tibi est? inquit. Cervix enim hoc glabra indicat, ut videtur. Dic, inquit canis, alligor, ut noctu sim acrior & vigilantior, atq; hæc vestigia sunt collaris, quod circumdari solet cervici. Hoc audito, lupus: Vale, inquit, amice, jam nihil moror servilem felicitatem tuam.

Ostendit fabula, nihil esse libertate melius neq; præstantius.

Herus & Canes.

IN prædio sub urbe quidam tempestate inclusus, primùm ovibus mactatis vitam sustentavit, mox durante illa, ne à bobus quidem aratoribus abstinuit. Quæ cum canes fieri viderent, consilium inter se ausugiendi illinc inierunt, quod non sperare posse viderentur, ibi locorum se tutos futuros, ubi bobus aratoribus non parceretur.

Monet fabula, illos fugiendos imprimis, apud quos ne domestici quidem & necessarij in tuto esse videantur.

Vulpes & Leo.

QUÆ nunquam leonem vulpes viderat, cum huic fortè occurrisset, ita fertur exterrita, ut penè moreretur, formidine. Eundem conspicata iterum extimuit quidem, sed nequaquâ ut dudum. Tertiò illi obviam facta, tam firmo animo fuit, ut accedere propius, & compellare illum auderet.

Ostendit fabula, etiã gravissima & difficillima negotia usu & consuetudine tractabilia reddi. Itemq; hoc, Inopinata omnia vehementiùs animos perturbare consuevisse.

Aquila & Vulpes.

INIIT quodam tempore societatem aquila cum vulpe, quæ ut usu familiaritatis confirmaretur, etiam nidos illis vicinos habere visum. Et aquila quidem suum in arbore fixit procerâ, at vulpes propinquas arbusculas occupavit. Accidit fortè, ut parvulis suis relictis domi, vulpes ad quærendum pastum exiret. Aquila, cui eo die non fuisset præda oblata, esuriens unà cum pullis suis arreptos catulos necessariæ vulpis, in suum nidum deportat, & illis sese ac suos exsaturat. Reversa paulò post vulpes, ubi rem gestam cognovit, incredibili dolore affecta fuit, cumq; suorum interitum ferret iniquissimè, tum hoc illam excruciabat, & ita despectam se ab aquila, & vindicandæ tantæ injuriæ nullam sibi viam apertam esse. Facilè enim intelligebat, celeritate illam atque viribus longè præstare. Fecit igitur quod concedebatur, ut obsequeretur animo suo, & propter arborem assistens, maledictis & convicijs, non

magis

magis jam necessariam suam, sed hostem capitalem insectata, Deos in tam indigni facinoris ultionem advocavit. Aquila desuper hæc videre, & illam contemnere. Non diu autem post hæc, cum fortè in eo loco feriæ essent rusticanæ, & exta mactati pecoris adolerentur, advolavit aquila, ut consueverat, ad exta, quæ dum rapit, adhæsit de favilla & carbonibus aliquid, quo in nidum unà cum illis delato, & fortè vento exorto, materia, quâ nidus congestus fuerat, flammâ conceptâ exarsit, cumq; illa incendio dissiparetur, delapsi sunt & pulli aquilæ in terram semiusti, quos dum vulpes inspectante aquilâ in sua dumeta auferens, in magna lætitia vindictæ devoravit.

Fabula hæc docet, perfidos & sceleratos, quāvis injurias & vim potentiâ suâ aliquantisper defendant, numinis tamē animadversionem & ultionem evadere non solere, secundum Horatium hoc:

Rarò antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

Narratur fabula etiam aliter: Extorsisse ab Aquila vulpem pullos suos minis, cum accurrisset ad arborem cum face, tanquam incensura illam.

Docetque nonnunquam etiam imbecilles irritatos potentibus terrori esse. Nā ut dicitur: ἔνεστι κἂν μύρμηκι καὶ σέρφῳ χολή.

De Agricola & Ciconia.

IN TER grues cepit Agricola ciconiam. Hæc depre-

deprecato ab illo vitam, non solum innocentem, sed etiam pium se, & hominibus prodesse commemorat. Nam & nostrum genus, inquit, venenatas bestias venatur ac devorat, & effœtos senecto parentes gestat atq; sublevat. Huic respondit agricola: Credere se vera esse omnia, quæ recenſuerit, sed inter nocentes captam eandem oportere pœnam sufferre, quàm illos.

Fabula significat, simile quēq; habere ijs, cū quibus consociatus, & inter quod deprehēsus fuerit.

Felis & Gallus Gallinaceus.

Felis captum gallum cum vellet videri jure occidisse, accusare illum cœpit primùm molestiæ, quam afferret mortalibus, quibus perpetuam noctem obstreperet clamoribus juis, & quod acquiescere defatigatos non pateretur. Hoc cum gallus defenderet, quod illis hac re utilem se operam dare asserere, qui ad necessaria opera eos excitaret, indicaretq; his faciendis tempus idoneum: Te tamen, inquit fel., nullum aliud est animal magis impudicum, qui naturæ legibus confusis, cum matribus & sororibus te commiscas. Hoc ego, inquit gallus, studio inservio rebus & commodis heri mei, quò plura huic ova pariantur. Cum igitur nullum posset afferre crimen felis, quod in gallo adhæresceret: Tu licet, inquit, causa non inferior esse videare, mihi tamen esurire in animo non est, atq; ita illum jugulat.

Imago hæc est superbiæ & crudelitatis. Hæc enim

vitia, quicquid dicatur aut fiat, injustam vim urgent, quamvis prætexere, si quid fortè possint facinoribus suis, non omittant.

De mendace puero.

Puer custos ovium crebrò per lusum magnis clamoribus opem rusticorum implorabat, contra incursiones luporum. Sæpè autem frustratus eos, qui auxilium illi laturi advenerant, tandem lupo irruente, cum lacrymis clamare, & orare miserabili voce, ut subveniretur sibi & gregi. Qui audiebant, ludere illum pariter ut antè, arbitrati, neglexerunt preces & implorationem vani pueri, ita liberè in oves grassatus lupus fuit.

Fabula docet, hoc consequi mendaces, ut verum etiam dicentibus nemo credat. Hanc de nugatore & plano, qui se crus simularet fregisse, Horatius exposuit.

De Aquila & Monedula.

Aquilam rapientem agnum conspicata monedula, idem de ariete facere conatur: sed in villis pecudis, cum unguæ implicitæ essent, capta à pastore & dono data filiæ fuit, qui illa in ludo pro monedula posteà, quæ sua opinione aquilæ par fuerat, usus est.

Deterret fabula ab affectandis ijs rebus, quæ res majores sint, quàm ut nos assequi posse videamur.

Canis in præsepi.

Frendens canis dentibus, & allatrans nonnunquam

nunquam in præsepi jacebat, à quo boves terrebantur, nec admittebantur ad pabula. Cui unus: Quanta ista, inquit, invidia est, non pati te, ut eo cibo vescamur, quem tu capere nec velis, nec possis.

Fabula de proverbio composita est, quo nocatur invidentiæ malignitas.

Asinus & Corvus.

ASinus pascebatur quodam in prato, hujus in exulceratum dorsum involat corvus, & tundit rostro sauciam eutem: Tum asinus igitur rudere & subsilire, ac agitator ridere. Præteriens autem forte lupus, & hæc cernens: O nostrum in fortunatum genus, inquit, quos omnes ad primum conspectum clamoribus & armis insectantur! ille autem, (corvum significans,) impunè licet asini pellem pectere, atq; insuper etiam irridetur.

Ostendit fabula, improbos & damnosos statim esse manifestos, cũ primùm apparuerint.

Narratur fabula similiter de cornicula involante in tergum ovis, quæ cùm ovis illi diceret, non ferret hoc canis, respondit, scire se quibus insultare, & quos cavere debeat.

Quæ narratio indicat, imbecilles esse obnoxios injuriæ.

Pavo.

CONQUESTUM graviter apud Junonem, avem illius propriam pavonem, accepimus, quod in tanta formositate & splendore pennarum, vocis suavitate deficeretur,

retur, cum luscinia tam nihili volucris illa abundaret. Cui Juno: Rectè, inquit, non enim omnia in unum bona conferri oportuit.

Fabula nos admonet sententiæ Homericæ: Nõ datur ut rebus præcellat in omnib⁹ uno.

Mustela.

IMbecillis jam & annis gravis mustela, mures assequi non magis poterat. Hanc igitur excogitat fraudem: In frumenti manipulos se implicat: eodem veniunt & mures, fruges ut erodant, hos illa sine labore & defatigatione capit atq; devorat.

Fabula docet, viribus deficientibus magnũ in prudentia subsidium esse positum.

Arbor tralaticia.

FErunt villicum cujusdam magna cum cura hortos colere solitum, & studuisse hero asserre de arbore quadam suprimis suavia mala. Hanc arborem herum cupijsse transferri in villam suburbanam, quæ vel vetustate, vel alia quapiam de causa statim exaruerit: Tum dixisse patremfamilias, suo se damno experiri, annosam stirpem transferri non expedire.

Epimythion Mantuani nõ inelegans est:
Qui nimiũ sapiunt, atq; incõcessa sequuntur,
Desipiunt, cohibet qui sua vota, sapit.

Leo & Rana.

LEo auditis ranæ clamoribus, quos illa toto rictu edebat quàm maximos, primùm percelli animo valdè cœpit, quod crederet, ingentem animantem esse auctorem tanti clamoris: animo tamen confirmato circumspicere, & contra illum clamatorem, quisquis esset, sese parare, & ad pugnam accingere. Cum videt prorepentem ranam de propinquo lacu, ibi leo simùl indignatione, simùl etiam pudore affectus, pede illam calcatam attrivit.

Docet fabula, nõ esse ad quẽlibet strepitũ ex pavescendũ, neq; nos inexplorata re terreri oportere.

Formica & Columba.

FOrmica siciens in fonticulam se demiserat, sed undis ablata veniebat jam in periculum, ne suffocaretur, cum non esset, ubi consisteret. Hoc columba cernens, de arbore juxta fontem enata, de fractum ramum in aquas abjecit, cui adhærescens formica mortem evasit. Paulò pòst affuit auceps, & arundinibus dispositis vitæ columbæ insidiari cœpit: Cui metuens formica, ad aucupem inter opus arrepsit, & ita vehementer illum pupugit, ut arundines præ dolore abjiceret. atq; harum strepitu territa columba avolavit, ac periculum vitavit.

Docet fabula, erga benè meritos esse non gratos debere.

Pavo & Monedula.

CUm haberent comitia volucres regi creandò, petijt, regnum pavo, quod se ob formam eximiam illo dignum præ

præ cunctis esse diceret. Qui cum omnium suffragia laturus videretur: Hic tamen rex, inquit monedula, si fortè sit factus, & aquilam hostem habuerimus, quidnam opis auxiliare poterit afferre.

Monet fabula, in principibꝰ legendis nõ speciem modò, sed etiam virtutem & sapientiã spectari oportere.

Medicus & Ægrotans.

DVCebatur Funus, hoc Medicus, cujus operâ in morbo usus fuerat mortuus, comitabatur. Atq; ibi cum aliis, qui funus prosequebantur, multa verba facere, & si vino abstinuisset iste, inquit, ac celeriter alvus fuisset humidior facta, ut purgaretur, poterat convalescere. Tum de amicis unus: Hæc, inquit, quâ linguâ nunc dicis, cum occasione amissâ frustrà memorentur? Quo tempore verò recte ac utiliter fuissent dicta, eo reticuisti.

Monet fabula, necessario tempore succurrendũ laborãtibꝰ. Ususq; est hac similitudine elegantissimè cõtrà Æschinẽ Demosthenes: Necquicquã autẽ monet qui seriò monet, id quod & Ovidius eleganter versibꝰ expressit de Pon. lib. 2.

Nũc mihi suffragio quid prodest dicere fa-
Quâ mea debuerit currere cimba viâ? (cto,

Narratur fabula & contra voracitatẽ ac ingluviẽ hoc modo: *Ducebatur funus cuidam, ac quærentibus compluribus, quo morbo ille mortuus esset: Medicus,*

ut fortè aderat, Quid quæritis? inquit, hic fame & siti periit, mirantibus omnibus, nunquam enim, ait, impleri cibo, neq; satiari potum illum vidi.

Leo, Asinus & Vulpes.

AMicitiam quodam tempore junxêre inter se, leo, asinus, vulpes, atq; ita communiter venatum exiêre. Copiosâ autem prædâ partâ, jubet asinum leo illam dividere. Qui simpliciter in tres æquales partes distribuens, sorte putabat decerni oportere, quam quisq; deberet sumere. Ob hoc leo irâ commotus, in asinum irruit, & dilacerat atque devorat miserum. Tum vulpem dividere jubet. At illa in unum acervum congestis universis, sibi exemit parvam portiunculam, atq; hanc justam divisionem esse dixit, ut leoni, cujus non solum auspicijs, sed etiam laboribus omnia essent quæsita, plurima extra quidem sortem cederent, Cui leo: Quis te, inquit, optima vulpecula? tàm scite partiri docuit? Asini, respondit vulpes, mi leo fortissime, asini socij nostri casus.

Docet fabula, solere aliorum calamitate & malis prudentiores reddi homines.

Hœdus & Lupus.

SUpra tectum domus stans hœdus, lupum prætereuntem inclamabat, & illi maledicebat. Cui lupus, Non tu, inquit, sed tectum mihi maledicit.

Sæpè locus & tempus fortes facit homines timendos, ut insultare etiam præstantissimis non vereantur.

Asinus

Asinus & Olitor.

SErviens apud olitorem asinus, cum perpetuis laboribus fesso pabulum exiguum præberetur, precibus suis Jovem exoravit, ut illo domino liberatus, ad alterum perveniret. Ita venundatus nactus est herum figulum. Quo in servitio cum & lati & vasorum oneribus gravaretur, minùs sibi vivendum putabat, & multo quàm priùs majoribus precibus, ut liberaretur, Jovem fatigabat. Jove igitur volente, tertiò venit, adductusque fuit cerdoni. Apud quem, cum quæ geruntur videret: Heu mihi, cum gemitu, inquit, quanto priores servitutes tolerabiliores erant! Nam ab hoc intelligo etiam pelli meæ periculum imminere.

Fabula ostendit, tum maximè homines veterem fortunam requirere, cum nova experiri cœperint.

Mulier & Ancillæ.

MVlier vidua, quæ texendo vitam sustentabat, solebat ad operas excitare de nocte ancillas suas, cùm quidem gallorum cantus audiri essent. At illæ diuturno labore defatigatæ statuerunt gallum domesticum interficere, quod hujus cantu de somno dominam suscitari dicerent. Quo facto deteriore conditione quàm priùs esse cœperunt. Nam de horâ & tempore incerta domina & dubitans, primâ sæpè nocte famulas postea excitabat.

Indicat fabula, sæpenumerò bona spei consilia habere exitum infelicem.

Equus & Asinus.

OTe beatum, inquit asellus, fortè obviam factus equo bellatori, me verò infelicem & miserum! Quantus enim nitor cutis tuæ! quam plenum corpus! quanta agilitas! quàm venusta cervix! Ego verò stri, osus, iners, humilis, famelicus, fastium delitiæ sum. Placebat hic equus sibi, & paulò quam ante incedebat magis arduus. Paulò autem post in prælio defatigatus, ex insulatus vulneratus, demisso capite collabens: Heu inquit, quantoperè falsus asellus fuit, qui meam fortunam præ suâ tàm vehementer nuper collaudavit, cujus splendor me in hæc mala & exitium demersit.

Nemo temerè aut alterius fortunam suspiciat, aut suam despiciat. Is enim est satis felix cui secundum Horatium, DEus obtulit parcâ, quod satis est manu.

Capra & Lupus.

CONspicatus in alta rupe stantem capram, Quin tu, inquit, vel leo, vel lupus, huc in herbidos campos, & ad lætas frondes descendis, & ista sterilia & nuda loca relinquis? Cui respondit capra, sensérat enim fraudulenter locutum: Non esse in animo sibi dulcia præponere salutaribus.

Fabula docet, voluptatum studium interdùm esse exitiale.

Vultur.

VULTUR invitatis aviculis ad convivium, quod illis

illis daturus esset die natali suo, postquam hæ affuêre ad tempus. clausis foribus domus, capere & occidere singillatim omnes, & de invitatis epulas sibi instruere cœpit.

Fabula monet, voluptatis sectatores non provisum in exitium incidere solere.

Anseres & Grues.

IN uno quodam prato pascebantur anseres & grues. Adveniente aucupe, grues levitate sua adjuti, facilè avolant: at anseres impediti gravitate, dum moliuntur fugam, ab aucupe prehenduntur.

Ostendit fabula, urbe captâ, cum pauperes plerunq; vim hostilem effugiant, divites in potestate hostiũ venire, & in servitutẽ abduci

Simia.

CONvocatis universis animantibus cognoscere Jupiter volebat, cujusnam omnium formosissima esset soboles. Tum simia simiolum parvulum proferens, & Jovi ostendens: Quid quæris Jupiter? inquit, nullum hoc formoso formosiorem invenies. Cui Jupiter: Ideò nudas, inquit, nates scilicet habet.

Docet fabula, de illius ore qui seipsũ aut sua prædicet, laudes & sordidas & ridiculas fieri.

Piscator & Smaris.

SMARIDEM ajunt esse pisciculum parvum, in cibogratum. Hujus generis raptam unam perpusillam

orasse piscatorem, qui ceperat, ferunt, ut ille se tempore amitteret, ac sineret grandescere, tum enim illum se majore cum commodo suo facilè esse recepturum. At ego, inquit piscator, decipiam, si spe futuri boni vel maximi præsens è manibus dimittam, quamvis modicum.

Docet fabula, incogitantes esse, qui malint magna sperare bona potiùs, quàm mediocribus frui.

Cicada & Formicæ,

Formicæ humectatas in hyeme siccabant fruges, ad has edit Cicada esuriens, & orat, paululum cibi ut sibi impertiant. Cui illæ: Æstate, inquiunt, quærere te oportuit. Non vacabat, inquit Cicada. Quid faciebas igitur? inquiunt illi. Cantationibus operam dabam, inquit. Tum illæ: Si cecinisti æstate, inquiunt, hyeme saltato.

Monet fabula, ne ullâ in necessariâ re cessemus, ne posteà egentes, frustrà præteritam tempus requiramus, aut aliorum opem imploremus.

Taurus et Hircus.

Cùm urgeret taurum insequens leo, confugit illi ad hirci caulam, sed hircus in foribus resistere, neq; taurum intrò admittere. Tum taurus, nisi utroq; nostrûm robustior premeret me, facilè poteram tibi ostendere, quantò præstent tauri vires viribus hircinis.

Docet fabula, interdùm injurias & contumeliam debiliorum ferri necesse esse propter me tum validiorum.

Lupus

Lupus & Mulier.

Esuriens lupus omnia loca circumiens cibum quærebat, tandem audit inter cæsam rusticam plorantem puerum, & interminantem matrem, ni desinat, lupis eum se velle projicere. Lupus eo dicto in spem vocatus, habiturum se cibum, totam diem astitit opperiens, dum puerum mater projiciat: sed vesperi hæc reconciliata puero, eidem abblandiens & assentans, Mi pupule, inquit, bono animo sis, lupum, si venerit, obtruncabimus. Tum lupus tristis & deceptus abiens: In ista inquit rebus aliter loquuntur, aliter sentiunt.

Fabula dicitur in eos, quorum dictis non respondent facta.

Testudo & aquila.

Magnopere orobat aquilam Testudo, volare sese ut doceret. Aquila ostendebat testudini, rem illam petere contrariam naturæ ipsius. Sed nihilò minùs instare, & obsecrare aquilam, ut se volucrem facere vellet. Itaq; unguis arreptam aquila sustulit in sublime, & laxatis illis testudinem dimisit, ut per aërem ferretur, quæ delata in rupes comminuta interiit.

Fabula docet, multos cupiditatibus suis occœcatos consilia prudentiorum respuere, & in exitium ruere stulticiâ suâ.

Cancri.

Mi NATE, grandior cancer parvulo dicebat,

quin rectâ via incedis, neque obliquos intorques gressus? Faciam, inquit ille, mi pupule, si te idem facientem prius videro.

Docet fabula, adolescentiam domesticis malis exemplorum maximè corrumpi.

Sol & Aquila.

SOLEM & aquilonem de robore viribusque quondam disceptasse ferunt, convenisseque inter eos, ut uter viatori vestem eriperet facilius, is validior haberetur. Priores igitur sortitus Aquilo ventus acer & vehemens omnem vim flatus sui in conspectum fortè viatorem immisit, verùm ille, quò magis ventus in se ferebatur, hoc arctius vestimenta continere, circumq; se convolvere. At Sol æstus & calorem effundens, facilè effecit, ut viator se vestibus nudaret, non solum pallio pòsito, sed etiam resibulatâ tunica.

Fabula dicit, cedere robur ingenio secundum Sophocleam sententiam:

Nõ pectore amplo qui sunt humerisq; arduis
Sese tuentur proteguntq̀ue maximè:
Sed consilij sapientia superat omnia.

De Asino induto Leoninâ pelle.

PELLE leoninæ indutus asinus territabat homines & bestias tanquam leo esset. Fortè autem conspectæ aures eminentes & longæ indicarunt stolidè superbientem

asinum

asinum, ita in pristinum abactus, pœnas dedit temeritatis & petulantiæ suæ.

Fabula innuit, honores indignis collatos, ad ignominiã plerũq; recidere. Diciturq; cõtra simulationem stultorum & gloriosorum.

Vermiculus & Vulpes.

EMERSVS de sterquilinio vermis, cœpit profiteri apud animantes, se esse medicum summum, neq; cedere Pæoni deorum medico, usu & experientiâ artis. Quem rugis deformem & nutantem intuita vulpes: Medice, inquit, te ipsum curare priùs, atq; ita profiteri artem debueras.

Docet fabula, turpiter ea ostentari verbis, quæ reipsâ convincantur mendacijs. Et est proverbio tritus hujus sententiæ senarius Græcus, qui irridet medicum aliorum, ipsũ scatentem ulceribus.

Narratur fabula & de rana, prorsus eodem sensu.

Canis mordax.

CAni mordaci, ut omnes cavere illum possent, paterfamilias jusserat tintinnabulum appendi ex ære parvulum. Hoc ille, quasi præmio virtutis suæ, admodum superbire, & alios canes præ se contemnere. Cui unus senior: Heus tu, inquit, an nescis indicari pravitatem morum tuorum tinnitu isto non ornari ære corpus.

Coërcet fabula stultitiam vulgi, quod sæpè placet sibi notis & insignibus flagitiorũ suorum.

Camelus.

CAmelus repanda à Jove petebat, ut cornibus armaretur. Cujus ille stolidis precibus irrisis, etiam aures mutilavit, ut non solùm inermis, sed etiam deformis de cætero esset.

Monet fabula, ineptis precibus deos non esse fatigandos.

Ursi præceptum.

MAgnus erat inter duos familiaritatis & necessitudinis usus, ut in summa conjunctione voluntatum atq; studiorum vivere viderentur, operasq; darent inter se mutuas, & alter alteri gratificaretur. Accidit, inter ut quodam tempore communiter ambobus faciendum esset, cumq; transirent quasdam solitudines in ingentem incidunt, quo viso, unus celeriter in arborem evasit, alter ab urso oppressus, cum audisset illam feram cadavera non attingere, in terram se postravit, & attractam animam, quam potuit, vehementissimè continuit, ut vestigium nullum vitæ appareret. Ursus omnibus partibus corporis pertentatis, & ore suo crebrò ad illius os auresq; admoto, cum pro mortuo reliquisset, abijt. Tum is tu ambo liberati, prosequuntur inceptum iter. Inter eundem autem interrogat is, qui arborem conscenderat, alterum, quidnam in aurem ursus facienti immurmurasset? Multa, inquit ille quæ nunc memorare nihil attinet, sed imprimis hoc præceptum dedit: Ne amicum esse quenquam mihi unq. persuadeam, cujus fidem adverso tempore meo non sperim expertus.

Doce

Docemur, verum esse quod Cicero scripsit præclarè, ut omnia Pæto: Non facilè dijudicatur amor verus & fictus nisi aliquod incidat ejusmodi tempus, & quasi aurum igne, sic benevolentia fidelis periculo aliquo perspici possit, cætera sunt signa communia.

Crines alieni.

CAlvus quidam alienos sibi crines sumserat, Græci Ψευδάκλου vocant. Orto autem vehementiore vento, deturbati illi in viam, calvitium reliquêre manifestum, quod irridentes qui præteribant, ille intuitus: Quid ridetis, inquit, à me ablatum esse, quod meum non erat?

Fabula docet, homines prudentes æquo animo ferre jactaram earum rerum, quas in se fortuna contulerit.

Ollo natans.

LEbetem ahenum & ollam fictilem unda vi abstulerat. Tum olla magnoperè vitare concursum aheni, & formidare ac tremere. Cui dicet: Quid metuis? inquit, non ego tibi nocebo. Respondet olla in tali jactatione, se non posse securo esse animo, cui non specta ipsius voluntas erga se, sed fortuitus concursus timori esset.

Docet fabula, periculosas omnibus modis esse conjunctiones potentum & impotentum.

Agricola.

*QUi terram colebat, cum agrum foderet, aurum forte reperit. Memor igitur beneficij, ut à terra in se sua

fati, & gratus, hanc quotidiè sertis redimere solebat. Ergo fortuna aliquando accedens ad illum: Cur acceptum refers inquit, terræ, quod tibi ego tribui, cum statuissem te divitijs augere? Nam sorte, si ita cadat, mutatâ, & auro delato ad alios, sati scio, te non terram, sed fortunam accusaturum esse.

Fabula monet, autores beneficiorum agnoscendos, & illis memoriã atq; gratiam persolvendam esse.

Grus & Pavo.

Pavo contra gruem astitens, explicatis pennis suis: Quanta est, inquit, formositas mea & deformitas tua? At Grus subvolans: Quanta est, inquit, levitas mea & tua gravitas?

Monet fabula non esse ob aliquod bonũ naturale superbiendũ, neq; cõtemnẽdũ alterũ, cui fortasse multò majora collata sint.

Arundo & Olea.

Disceptabant de fortitudine, robore & constantia Olea seu quercus (nihil enim refert) & Arundo. Cum augem olea sive quercus arundini exprobraret mobilitatem, & quod ad quamvis illa exiguam auram tremeret, tacuit arundo. Non ita diu post, ingruentibus ventis & resistente flatibus ipsorum olea vel quercus ab horum illa vi eruta & dissipata fuit, arundo autem submissione sua integritatem conservavit.

Fabula ostendit, laudandos eos magis esse, qui tempori ser-

ri servire sciant, & se non opponant valentioribus, quàm eos, qui cum præstantioribus se & potentioribus tixentur atq; contendunt.

Significatur & hoc, quod Herodotus scripsit; Numinis hûc esse morẽ, ut ardua cõvellat.

Tigris.

VEnator jaculis & sagittis feras persequebatur, quibus fugientibus, tigris se bellum solam sustentaturam esse profitetur, in hujus de latebris suis, femur sagittam venator conjecit. Tum illa graviter ingemiscere & circumspicere, & quærere autorem vulneris. Cui obviam facta vulpecula: Quis te læsit, ô fortissima, inquit, ferarum? Nescio, inquit illa, sed sentio viri robusti adhibitam manum fuisse.

Refutat fabula temeritatẽ audaciũ, qui autẽ viribus præstãt, plerumq; incautiores esse cõsuevêre. Docemur igitur hoc, ut intelligamus victoriã non tàm viriũ esse, quàm prudẽtiæ.

Boves & Leo.

PAscebantur unà tres boves opimi in maxima concordia, itaq; facilè ab omni incursione ferarum tuti erant, ac ne leones quidem aggredi illos audebant. Tandem dissidio inter illos nato, & solutâ amicitiâ, singuli validioribus bestiis direptioni & præda fuêre.

Fabula docet, tantũ inesse mali in dissensiõe, quantũ boni in concordiâ reperiatur.

Abies

Abies & Dumeta.

COntemnebat propinquos dumos abies alta, cui illi: Quantò tu nobis es præstantior, tantò tua est conditio deterior, quod magis omnis generis injurijs exposita sis, & tibi à diis & hominibus pericula impendeant.

Docet fabula, non oportere excellentes illorum humilitatem despicere. Nam multos, ut ille ait, fortuna tollit in altum, ut lapsu graviore ruant.

De Aviculâ & Messe.

MEssu instabat tempus, erantq; aviculæ cujusdam pulli adhuc implumes in illa depositi. Hæc verò, quoties ad pastum avolabat, diligenter meminisse jubebat pullos omnium, quæ interea dici audijssent, aut fieri vidissent, sibi vicissim ut narrare possent. Dicunt illi quodam tempore adfuisse cum filio adolescente adulto & valente dominum agri, & constituisse frumenta postero die amicis corrogatis, demessum se esse. Hoc nuncio avicula nequaquam territa, postridie, ut consueverat, ad victum quærendum avolat: Cum redijsset, audit constituisse dominum agri, sese ad messem consanguineorum & propinquorum opera usurum esse. Negat illa in hoc etiam periculum inesse. Postea verò quam cognovisset, dixisse dominum seipsum cum filio & servis adfuturum, ut frumenta demeteret, ibi demùm non dubitans, quin suam rem dominus curaturus esset, de segete migrat, & pullos suos asportat in alium locum tutiorem.

Fabula

Fabula verat, alienis homines fretos esse in administratione rerum suarum. Est à Gellio illa quidem narrata copiosiús, sed nobis tamen simplici & æquabili expositione eandem retexere visum fuit.

Invidus.

Volens explorare sensus hominum Jupiter, misit Apollinem in terras, qui voluntates humanas cognosceret. Hic primum incidit in avarum unum, & alterum invidum. Quibus cum collocutus, copiam illis facit petendi quod vellent. Id enim quod uterq; petiisset, ratum se habiturum, sed ea lege, ut quod sibi alter petüsset, alteri præstaretur duplum. Nullo igitur pacto induci potuit avarus, quicquam sibi ut peteret, at invidus erui unum oculum sibi petit, ut avarus ambos amitteret.

Describitur hâc fabulâ avaritiæ & invidiæ turpissimum & deterrimum vitium.

Cornix.

Sitiens cornix reperit in urna grandiuscula aquæ non multum. Quam cum attingere ardo rostro non posset, lapillos quamplurimos in urnam dejicit, quibus fundum occupantibus, ad labrum urnæ aqua subijt, & potandam se cornici præbuit.

Docet fabula, multa res arte obtineri, quas nullæ vires assequi potuissent.

De Homine & Leone lapideo.

ORTA inter hominem & leonem contentione de roborę

robore, cum se hunc ille anteferret, & omnibus modis vellet probare, esse validiorem, deduxit leonem ad effigiem hominis de saxo expressam, à quo leonem saxeus pedibus calcabatur. Tum leo: Si nostrum, inquit, genus fingere etiam didicisset, ego quoq; tibi, ut opinor, saxeos homines, qui à leonibus premerentur, possem ostendere.

Coërcet fabula ostentatione virtutis propriæ.

Puer fallax.

PLorabat ad puteum residens & quiritabatur puer. ad quem accedens avarus, interrogat, quid acciderit ei: Miserum, inquit puer, cum multo largioribus lacrymis: ô miserum me. Cur miserum se prædicaret interrogans avarus, respondet, auream situlam sibi in puteum modo delapsam. Ille cupiditate cæcus, neq; undè puer auream situlam afferre potuisset, neque haud verisimile hunc dicere cogitans, posito vestibus se in puteum demittit, quibus puer interea, dum ille reverteretur, sublatis, in sylvas aufugit.

Fabula docet Qui aliena appetunt, eos sua etiam amittere sæpè solere.

De Rustico & Juvenco.

RUSTICUS juvencum educârat, quo ad arationes uteretur. Sed hoc admodum ferociente, & cornibus impedente obvios, rusticus cornua illius detruncat, atq; ita ad aratrum adjugit. Ipse sequens stivam tenet. At juvencus ne

tus ne sic quidem idoneum se arationi præbuit, sed & caput truncum dimittere cum jugo, & posterioribus pedibus pulverem & glebas in os & oculos aratoris spargere, & delirare in arando, ut rusticus illum sibi usui futurum esse desperaret.

Hac fabulâ significatur, quosdam ita esse feros, ut nullâ ratione mansuescere possint, quia nullâ in parte tractabiles se præbeant.

De Fauno & viatore.

SAtyros & Silenos vocant Græci ruris & silvarum numina, qui latinos sunt Fauni & Silvani. Ex his unus quondam, viatorem hyemis frigore afflictum, deduxisse perhibetur in specum suum, misertus hominis. Cumq; videret crebrò, eum manus ori admovere & illis inhalare, rogat quid sibi ea res velit. Respondit viator, calefieri ita spiritu manus contractas gelu: Tum Satyrus, ne quid humanitatis erga hospitem prætermitteret, affert in phialâ vinum calidum & adhuc fervens, illoq; suum fovere gutturi & stomachum jubet. In hoc & ipsum inspirare viator quod diceret, admiranti, & causam requirenti Satyro, refrigeranti potum anhelitu. Ibi Satyrus eum adversatus: At tu, inquit, citò te aufer à me, & egredere de specu, nihil enim cum tua perversitate commercij habere volo, qui eodem ex ore efflas calidum & frigidum.

Fabula significat, fugiendas amicitias dubias & mutabiles hominum inconstantium & levium.

Asinus excors.

Leo ægrotans & infirmus, vulpeculam orat sibi cibum ut inveniat. Illa abit, & ad asinum solum in quodam prato oberrantem devenit, ac, Quid tu hic solus agis inquit, Quin mecum te confers ad tui generis animalia, quæ plurima intra istud nemus convenêre. Asinus oratione vulpeculæ motus, illam se ait sequi. Hæc cum ad leonem deduxit, qui ita fuerat morbo debilitatus, ut asinum retinere non posset. Ille igitur elapsus, in suum pratũ revertitur. Leo iterum atq; iterum orare vulpem, ad se illum ut reducere studeret. Hoc vix posse fieri vulpecula dicebat, nam sibi asinum nihil jam creditum esse, sed promisit se tentaturam. Redit igitur ad asinum, & cum illo expostulat, & verè esse asinum ait, pecus agreste & rusticum, qui maximorum amatorum complexus fugerit: nam illos gaudio non apud se fuisse, ideoq; illatos in eum vehementius. Asinus credit vulpi, & iterum cum ipsa ad leonẽ accedit, qui tum viribus annisus omnibus, eum prosternit ac jugulat. Tum jubet vulpem carnes eluere & apparare, ut illis jucundè vescatur. Vulpecula, ut jussa fuerat, facit, sed exemtum cor & præmorsas aures illa devorat. Requirenti autem leoni dicit, illum asinum neq; cor neq; aures habuisse. Hoc leo mirari & incredibile esse dicere. Tum vulpes: An tu putas, inquit, iterum ad te ut veniret, adduci hunc potuisse, si vel aures vel cor haberet?

Narratur fabula in stolidos & his, quod proverbio reprehenditur, ad eundem offendentibus.

Narra-

Narratur & de apro sensu eodem, quem primò captum unâ aure, iterum captum altera quoq; mutilum rusticus dimisisset, & ita tertiò captũ obtruncasset, deportasseq; ad patronum suum exemto corde, negans cor illũ aprum habuisse.

Mus & Taurus.

ARrepsit quodam tempore ad pedem cubantis tauri musculus, & pedem bestiæ mordicùs arripuit. Excitatus sensu doloris taurus exilire & circumspicere, & quærere autorem vulneris. Tum murem exultando fuisse gloriatum accepimus, quod à se tàm exiguo animali tàm grande & validum exagitari potuisset.

Fabula dicitur de stolidâ imbellium & humilium ostentatione.

Narrari etiã ita potest, ut magnos ac præstantes viribus admoneat conditionis suæ, propositis interdùm etiam minimorum & contemtissimorum injurijs.

Bubulcus.

BVBVLCVS onustum ligni plaustrum domum agebat, quod cum in lutosa via & salebris hæreret & retineretur, cœpit ille otiosè astans deas ad auxilium advocare, præq; cæteris, quem maximè propter celebratum vulgo robur colebat, Herculem. Tum illi se Herculem conspiciendum obtulisse ferunt, & his verbis corripuisse stolidam ignaviam ipsius: Rotis manus, ô bubulcule, applica, & stimulum bobus admove, & deorum deindè opem poscito,

ne si tu cesses, dij frustrà invocentur. Vndè & proverbium natum: Manum admoventes invocate numina. Et hoc: Aliquid & ipse agens fac invoces deos.

Fabula narratur contra desidiam & pigritiam, & cessationem, in quibus plerunq; ignavum vulgus vota facit, & precibus fatigat deos. Itaq; & Terentianus Mitio quærit de adolescente: An crediderit speratas nuptias dormienti sibi confecturos deos? Et apud Apollontum Hercules: οὐ δὴ τικῶας, inquit, αὐτόματον δώσει τὶς ἑλὼν θεὸς εὐξαμένοισι.

Gallina Auripara.

HAbebat gallinam quidam, quæ ovum quotidiè pariebat aureum. Hic sperans auri massam intra illam esse absconditam, occidit gallinam, & in dissectâ nihil aliud reperit quàm quod in reliquis esse gallinis consuevit. Itaq; ingentibus ille divitiis inhians, etiam mediocres perdidit.

Monet fabula, ut immodicas cupiditates, & avidos divitiarùm animos compescamus, & ut suâ quisq; fortunâ contentus vivat.

Simia.

MAgnum esse amorem erga natos simiarum accepimus, sed duobus partu editis, alterum mirificè diligere matrem & gestare manibus, & frequenti complexu sæpenumerò necare. Quæ igitur fugiebat canes cum gemino fœtu, cariorem manibus comprehensum, alterum de cervice pendentem gestabat. Cursu autem fatigatæ, lassatis è mani-

manibus elapsus similolus, cum urgerte vi canum tolli non posset, periit alter, qui collum matris arctissimè strinxerat lacertulis suis conservatur. Hunc postea illa solum ita vehementer, ut prius alterum amavit.

Ostendit fabula, unius sæpè damna alteri prodesse.

Bos & Juvencus.

ANte bovem arantem, & quem ætate convectum etiam quotidianæ aratri & palustri trahendi operæ sentum & squalidum reddiderant, ante hunc igitur exultare nitidus & petulans juvencus, atque illius scabram & nudatam pilis cutem irridere. Paulò post arripitur ad immolationem juvencus, qui cum præter bovem duceretur, dimisso capite, & lento passu ingrediebatur. Tum bos: Et si, inquit, nolim hæc te pœnas dare lasciviæ & insolentiæ tuæ, tamen cum ita cecidêrit, delector id me cognoscere verum esse, quod audire etiam de meis parentibus memini, in maximis periculis versari petulantem juventutem: Ac esse quidem ætatem hanc per se malis obnoxiam, sed tùm maximè, cum accedat injuriarum & improbitatis usurpatio.

Præceptum & admonitio fabulæ narratione comprehenduntur.

Lupus piscis.

LVpus piscis robore & magnitudine eximia præditus, fluvij cujusdam imperium tenebat. Hunc superbia & fastidium præsentis fortunæ ad cupiditatem extulit regni marini. De ostio igitur fluminis in pelagus enatat, atq;

illi Delphino regnatori occurrens, cum & forma & mole insueta terreretur, adoriente etiam hunc hostiliter Delphino fuga se in amnem suum recepit. neq; posteà unquam extra ostium excurrere ausus fuit.

Hæc fabula docet, ne quis sibi neminem parem reperiri arroganti opinione persuadet, ac potiùs ut cogitet, id quod Tuetonico proverbio fertur: Etiam trans rivum homines inveniri.

Pardus & Vulpes

PArdus fera est varijs colorum distincta maculis, eam cum vulpe de formâ certasse accepimus. Disceptatum fuit coram Erimantho. Pardus commemorare cœpit formam eos facilè præstare reliquis, quorum aspectu plurimi delectarentur, sed varietatem habere jucunditatis plurimum, sicut prata quoq; insignia diversis floribus maxima oculos voluptate perfunderent. Jussa ad hæc dicere vulpecula: Intus me, inquit, de animâ, non de pelle nescito, atq; id varietatem contra me ostenta tuam.

Hoc indicat fabula, certissima esse judicia, quæ à specie externâ quàm longissimè abducta sint.

Ictis & Vulpes

ICTIS EST è mustelarum genere silvestris quadrupes, cujus pelle obduci quondam galeas solitas tradunt. Quodam tempore cum vulpe igitur ictis iter per patentem campum faciebat. Eam vulpes interrogabat: Quit rerum aut artium didicisset? Illa nihil quidem se tenere respondet, præter

præter mediocrem saltandi rationem. At ego, inquit vulpes, centum artibus instructa sum, quarum quævis, & ad necessaria victui paranda, & ad vim contrariam omnia propulsanda, satis esse possit: Ictu igitur venerari, & beatam prædicare vulpem, se verò futilem & vitâ indignam animantem perhibere. Inter hos sermones exaudiri canum latratus, itaq; adesse venatorem ictu conjiciens: In fugam, inquit, nos demus, audio enim hostium nostrorum vocem. Placidè, inquit vulpes: Nondum enim necesse est accelerare fugam. Cum autem clarior fieret latratus, Fugiamus igitur, inquit vulpes. Cui ictus: Neq; mihi, confirmatæ verbis tuis, nimis festinandum videtur. Sed jam conspectus canibus. Fugiamus sanè, ait: Atq; ipsa in proceram statim arborem saltu evasit: Vulpes verò in aperto campo facilè à canibus deprehensa fuit, quam illa irridens, ut unam promat, hortatur, de centum salutaribus artibus suis: nunc enim necesse esse. Ita misera vulpecula & derisa dilacerata fuit.

Fabula narratur contra gloriatores vanos. & ostentatores mendaces.

Simiæ.

Simiæ purpuratæ instituebantur ad saltationem. Cujus comperitæ viderentur esse, productæ fuêre ad spectaculum. Saltantibus autem objecit quidam nuces, quibus visis omnibus postbabitis & neglectis, ad nuces illa discurrere, & de his inter se luctari ac depugnare.

Fabula hoc dicit:

Naturam expellas furcâ, tamen usq; recurret.

Asinus controversus

Duo qui unaiter faciebant, asinum oberrantem insolitudine conspicati, accurrunt læti, ac uterq; sibi illum vendicare, quod ipse prior conspexisset Dum contendunt & rixantur, neq; à jurgiis abstinent, us aufugit & subducit se oculis illorum. Ita dum uterq; nondum prehensum suum esse vult, neuter illo potitur.

Fabula monet, inter altercandum, multa quæ placido consensu retineri potuissent, solere amitti. Nota etiam est sententia, quæ vulgò fertur:

Nimium altercando veritas amititur.

Piscatores & Testudines.

Ad nauseam usq; saturi testudinum carne piscatores, cum etiam multum adhuc illis superesset, prætereuntem fortè Mercurium ad suas epulas invitant, Qui non ignarus, quippè Deus, quo animo vocaretur, jussit suas ipsas testudines vel edere vel vomere, neq; post sua demùm fastidia convivas quærere.

Prodigorum stultitia notatur, qui ea alijs tribuunt, quæ ipsi despiciunt & parvi pendunt etiam ea, quæ quantitivis interdùm precij sunt.

Aquila & Scarabeus.

Lepus, quem aquila insequeretur, ad scarabei læmulam confugit, & illius auxilium imploravit. Scarabeus petit ab aquila, ut parcat supplici perq; summum Jovem obte-

obtestantur, ne despiciat tenuitatem suam. At illa profligato scarabeo, raptum leporem devorat. Quam avolantem assectatur scarabeus, ut cognosceret, quo in loco nidificaret; Ac mox occasionem nactus, de nido aquilæ omnia ova, quæ inerant, devolvit per petrarum præcipitia. Aquila re comperta, autori doloris sui valdè irata, nidum extruit in multò magis arduis rupibus & illo parit ova, sed simili eventu. Tum inops consilij ad Jovem advolat, cujus propria avis esse perhibetur, & tertiam fœturam in illius gremio deponit, orans atq; obsecrans, ut tutam præstaret. at scarabeus globolum sterquilinij eodem dejicit. Quem excussurus Jupiter, laxatâ veste ova aquilæ effundit, quæ inflicta pavimento, secundum Homerum, ære, facile comminuuntur. Cum autem de scarabeo intellexisset, quod ab aquila factam injuriam sibi hac voluisset ratione vindicare, quod statueret, non solum scarabeum, sed etiam suum numen ab aquila læsum atq; violatum esse, reversam illam graviter objurgavit, & indicavit ei autorem malorum, quæ passa esset. Cum tamen genus aquilarum funditùs interire nollet, scarabeum ad gratiam cum aquila reconciliandam adducere tentat: que vehementer refragante, aquilæ tum partum transtulit ex eo tempore inaliud, quo scarabei non apparerent.

Monemur hâc fabulâ, ne quem facilè contemnamus, utq; cogitemus, neminem esse tàm abjectum; & humilem, qui non suæ injuriæ vindicandæ aliquam occasionem invenire possit.

Vulpes & aviculæ.

Diu perpessa famem vulpecula, cum nihil successisset omnium artium, quas ad victum parandum exercuerat multiplices, tum sese illa præ mœrore animi abijcere humi & secum miseriam suam tacitè deplorare. Aves mortuam ratæ advolare propiùs. Illa ubi hoc videt, immobilis manet & animam continet, ne aves spiritu vitam adesse intelligant. Securæ igitur accedunt, & in vulpem insiliunt. At illa postquam censuit tempus esse, exilit, & comprehendit proximam ac devorat. Postridiè experitur eandem fraudem: Ibi una, (Cornix ut opinor) Non, inquit, si tuam pellem in ista sæpè expansam conspicer, in illam involavero.

Docet fabula, fraudulentis nunquam fidem habendam esse: ipsis enim etiam quiescentibus, doli tamen vigent & moventur.

Aves & Noctua.

Noctuam cum veteres Minervæ consecrarunt, nimirum avem esse prudentem voluerunt iudicare. Hanc narrant, cum studuissent ali, uandò ad silvas, & in arbores abducere secum aviculæ, hortantes ut in quadam præclara quercu nidum suum figeret, ipsam non modò parere illis noluisse, sed contrà etiam monuisse, ut quercus illius frondes omnes conterperent rostris suis. Minimè hoc illis facere volentibus, paulò post viscum protulit arbor, quo deindè explicatæ aves captæ fuerunt, noctua sapientiam & salutaria consilia serò collaudantes.

Hæc epitome est narrationis Politiani. Monet autem non esse spernanda salutaria consilia prudentũ.

Cucur-

Cucurbita & Palma.

CVcurbita consita ad palmæ radicem, cum largis imbribus irrigata esset stirpi palmæ innitens, ad illius se cacumina extulit. Tum interrogare palmam, quos annis ad tantam granditatem pervenisset? Cui respondit palma: Non minus centum annis. Tum cucurbita: Quanto te ego sum melior, inquit, quæ non dies totidem crescendo confeci, & tuam exæquavi altitudinem. Paulò post præmatura, & ipsa flaccescere, & radix amisso succo non magis vegetare illam. Ergò quam temere de præcessu incrementi sui gloriata esset intelligens, & suam granditatem contemnens, futilitatem confessa fuit.

Fabula docet, quæ citò oriantur, etiã citò occidere, ut de Solsticiali herbâ Plautus ait. Et, subita incrementa fructuosa nõ esse. Huc pertinet & hortorum Midæ & Adonidos proverbium.

Corvus & Lupi.

PEtebat à lupis partem prædæ corvus, quos totam diem sectatus fuisset, Cui illi: Non tu nos quidem, sed prædam sectatus es, eo quidem animo, ut ne corporibus quidem nostris velles parcere si exanimarentur.

Fabula docet, spectari in actionibus non tantum quid fiat, sed etiam quo animo & voluntate fiat.

Mus.

MVS natus, & edicatus intra cistam refertam nu-

ribus.

cibus, fortè delatus in pavimentum, dum in suam domunculã redire properat, & circum illam assultat, attingit hunc odor suavissimo ciborum, qui esset in propinquo de reliquiis agitati convivij repositi, quibus gustatis: Hæc, inquit, ut video, jucundior vita futura est illa, quàm intra ist am vixi.

Fabula imperitos notat, qui nunquam suum oppidulum egressi, illius vitam & mores optimos & laudatissimos esse statuunt.

Dici & hæc sententia potest, quam adducit scribens Trebatio de Medea Cicero: Multi suam rem benè gessere, & publicam patria procul. Multi, qui domi ætatem agerent, propterea sunt improbati.

Agricola.

ASsiduus Cereris cultor agricola axoraverat Deam, ut sibi frumenta sua absq; aristis produceret. Ita enim rebatur minore cum labore exsulpi posse. Sed indefensa grana de matureſcente tùm segete, aviculæ excussere rostris, & devorarunt.

Fabula narratur contra votorũ stultitiam & ostendit imprudenter spe parvi commodi, in magnum sæpè malum deferri.

Accipiter & Columba.

CONCITATISSIMO impetu columbam insequens accipiter, intra villam una cum fugiente ave deferetur & capitur à villico. Hunc erat, ut se dimittere velit;

Nec

Neq; enim te, inquit, læsi unquam. Cui respondet villicus: Neque, ut opinor, me te unquam læsere, atq; fracta illum gulâ interemit.

Fabula docet, vindicandas à principib⁹ non minis subditorum injurias, quàm sibi ipsis allatæ essent.

Aranea & Hirundo

Conspicata aranea capientem muscas hirundinem, contra illius volatus explicat retiola sua, per quæ facilè lata hirundo, celeriter totum opus disturbavit. Tum aranea: Ista, inquit muscarias plagas nihil moratur.

Ostendit fabula, imbecilles frustrà se potentioribus opponere, & hoc subjicit: Vana est sine viribus ira.

Amnium silentia.

Rusticus transiturus flumen, vadum vestigabat. Ac primùm quadam parte se reperturum sperabat, quâ defluebat illud placidè, & cum silentio, sed à tentante reperitur magna ibi profunditas. Facit igitur alibi periculum, ubi quidem reperit vadum, aquu vero cum strepitu & impetu decurrebat. Tum ille hæc secum: Non, ut video, inquit, animum murmura & fremitus, sed silentum & leves sibilæ metuendi sunt.

Non esse periculum, fabula docet, à clamatoribus & minacibus, sed à mussitantibus & taciturnis. Cæsarem etiam dicere solitum accepimus, Non metui à se Antonium & Dolabellam corpulentos & rubicundos, sed Cassij & Bruti maciem & pallorem. Co-

Columba & Pica.

CVr tu, inquit pica columbæ, semper eodem in loco depositis ova tua, atq; nullos excludis, neq; redderis prudentior continuis rapinis hominum? Huic columba: Non fuit, inquit, simplicitas me, neq; malè suspicari de aliis, neq; meos ab illorum injuriis eripere.

Ostendit fabula, simplices esse injuriæ & fraudi expositos.

Cuculus & Accipiter.

CVculo & rostrum aduncum & acuti sunt ungues, itaq; generis accipitrum esse creditur. Huic ajunt esse, cibum vermiculos, quos de materia & arborum quoq; ramis colligere soleat. Atq; talem illi victum exprobrasse, ut vilem & contemnendum accipitrem ferunt. Quin tu me, inquit, stultas, qui avium carnibus vescor, & cum generis nostri esse videaris, etiam facta imitaris? Hæc oratio cum movisset cuculi animum, videt ille paulò pòst captum accipitrem, alligatum collo, pendere de tecto alti columbarii, in terrorem aliorum accipitrum. Tum igitur ita cuculum locutum accipimus: Nunc mihi etiam suaviores mei vermiculi, & gratior illa esca futura est, sine periculo parabilis: Neq; ego lautitias moror, quæ tanto discrimine petuntur.

Docet fabula, mediocritatem tutam optabiliorem esse, quàm sit periculosa excellentia.

Asinus & Vitulus.

IN VNO prato pascebantur asinus & vitulus. Cum autem

dutem signum auditum esset adventus hostium, quod de more solebat dari pulsato ære. Fugiamus, inquit vitulus, ne in potestatem hostium deveniamus. Cui asinus: Fuge sanè, inquit, cui cades & mactatio ab istis impendent, mihi periculum novum nullum objicitur, quem serviendi & ferendorum onerum conditio eadem manet, tàm apud cives, quàm apud hostes.

Docet fabula, certæ & exploratæ miseriæ cum aliâ miseriâ commutationem non esse pertimescendam.

Pastores.

Pastores cæsâ ove convivium intra tabernaculum agitabant. Quod cum lupus, qui prædandi causâ caulas circuibat, fieri cerneret: Ego, inquit, si agnum rapuissem, quantum tumultus excitaretur! at isti impunè parentem vorant. Tam unus his auditus? Nostrâ enim, inquit, scelerate, non alienâ ove epulamur.

Docemur hâc fabulâ, & potentes impunè peccare, & horum delicta non facilè reprehendi à quovis debere.

Narratur fabula eadem sententia & de mulierculis comedentibus gallinam, ac vulpe, quæ dixerit: Ego si hoc facerem, omnes jam canes in me incitarentur.

Capi.

Gallinacei castrari solent: ita celerius pingescere existimantur. Horum magnus numerus in villa alebatur, cumq; omnes opimi redderentur cibo largo, & curatione diligente, in uno tantummodo nihil proficiebat sagina, hujus macilentiam irridebant cæteri. Mox cum au-

dissent imperium heri, pinguissimi quiq; ut jugularentur ad cœnam, assuturos enim hospites, intellexere stulti, quantopere sibi & vitæ suæ carnes, quibus dudùm superbissent, contrariæ & nocentes essent.

Consolatur fabula tenues & pauperes, illorum que vitam docet esse multò tutiorem quàm sit locupletum, &, ut Græci loquuntur τῶν παχέων.

Equus novitius.

Mercatus quidam equum, cum prius haberet valdè strenuum, aliquantò cum majore cura illum aluit quàm alterum. Hoc mirari ipse quoq; ait de socio causam exquirere. Quid enim, inquit, est, cur me impensius curet? herus multis nominibus te inferiorem? Neq; enim forma, neq; velocitas, neq; vires meæ cum tuis comparandæ sunt. Cui ille: Nihil, inquit, novum neq; mirum herus facit, sed hominum more prioribus posteriora, & recentia usitatis præfert.

Fabula levitatem vulgi notat, & novarum rerum studium.

Canis & Sus.

Ad aucupia canes diligenti & exquisitâ cura atq; ratione eruditi & instituti solent, & ad silentia verborum minis & aurium vellicatione assuescunt. Certæ autem nationi hi deliguntur, quorum imprimis bona sagaxq; natura sit. Hujus generis uni istam servilitatem exprobrasse optimum & pinguem suam aiunt. Cui ille, se non pœnitere brevi met-

vis molestiæ, responderit quâ vitam sibi comparaturus sit delicatam, neq; pigere in præsentia tædij aliquantulum devorare, ut lautißimis diu postea cibis perfruatur.

Fabula hortatur discipulos bonarum artium & virtutis ad labores, qui in discendo exhauriendi sint, perferendos spe maximorũ commodorum, & jucundissimæ vitæ.

Trabs & Boves,

Qui trabem boves trahebant, unde tignum fieret, increpabantur ab illo, quod anhelantes in pigritia lento gradu incederent. Cui unus de bobus; Nos tamen, inquit, hoc moxonere liberati acquiescemus, cùm tibi paulò post imponendum usq; ad cariem sit sustinendum.

Subjicit fabula præceptum humanitatis, ut vereamur insultare miseris, cũ fieri possit, ut nos multò major calamitas maneat.

Carduelis.

AVolarat carduelis, quam diu puer in delitijs cicurem habuerat; Hanc ille gestu & voce revocare, & dare operam. ut blanditiâ verborum pelliceret ad reversionem. Nam cur, inquit, mea tu fugis, aut quid tibi triste aut contrarium, dum mecum fuisti, unquam accidit, vel quid potiùs ad beatam vitam defuit? Nihil, inquit illa, sed meo arbitratu vivere mihi maximè libet.

Docet fabula, nullum bonum libertatis bono melius aut præstantius esse. Et illi Spartã in Polymnia: Persam, ajunt, si sciret, quã sua-

ve esset in libertate vivere, auctorem ipsum futurum fuisse.

οὐκ ἂν δώρασι περὶ αὐτῆς μάχεσθαι, ἀλλὰ καὶ πελέκεσι

Upupa.

IN aquilæ nuptijs ferunt sese upupam reliquis avibus hospitibus, prætulisse, & cristas alte erexisse, & genus etiam regium jactitasse. Sed huic dixisse ciconiam accepimus, par non esse, ut primas teneat avis, cujus nidus nunquam stercore careat.

Monet fabula, non esse honestatem de ornatu, sed de vitæ ratione æstimandum.

Gulæ deditus.

GUlæ deditus quidam ad epulas invitatus in rus, quod abesset paulò ab urbe longiùs, dum proficiscitur spe singularum lauticiarum & opipare instructarum dapum, in itinere pira reperta ita sprevit, ut etiam per derisionem lotio suo aspergeret. Cum autem rivus, quà transeundum fuerat, subitò ea nocte ad altitudinem excrevisset tantam, ut cum manifesto discrimine ingressurum se ille aquas intelligeret, redire tristis, atque post ereptam spem copiosi cibi acerrimè etiam esurire cœpit. Itaq; cum ad pira, quæ dudũ comminxerat, venisset, detersa illa arrosit, & hanc escam objecit jejunis & latrantibus intestinis.

Fabula docet contẽtus & fastidij sæpè has pœnas dari, ut quæ paulò antè homines spreverint & abjecerint, ea mox appetãt & amplectãtur.

Equus

Equus & Porcus.

ALacriter ad pugnam equus & armatus ipse & armatum equitem vehens profiscebatur. Hunc conspicatus porcus de luto, in quo volutabatur, Heus tu, inquit, quo properas ignarus, an vitam in prælio amissurus sis? Cui equus: Etiam tibi, inquit, mors impendet, & quidem oppetenda sine laude, ubi tuo domino satis pinguis factus esse videberis. At mihi quidem animam, si ita cadat, viri fortis, tibi lanij manus ereptura est.

Fabula honestam mortem non nimium pertimescendam docet, cum etiam in summâ ignaviâ illa evitari non possit.

Venator & Cerdo.

CErdo ad venatorem quodam tempore devenisse dicitur, & petijsse ab eo, sibi ursi pellem ut venderet. Venator sibi illo tempore ursi pellem non esse respondit, sed si vellet pecuniam numerare, juraturum se post dies paucos ut haberet, cum ursum cepisset, cujus lustrum jam sibi exploratum esset. Itáne, inquit cerdo, facilè est ursum capere? Mihi quidem, inquit venator, nequaquam difficile hoc fuerit, inter feras & in silva penè à puero versato. Licetne, inquit cerdo, te comitari? nam mihi libet spectatorem esse talis venationis. Licet, inquit venator, mecum perendiè in silvam abeas. Quò cum esset ventum, apparuit statim ursus, belua ingens & horribilis. Cerdo tùm celeriter arborem conscendit. Venator adortus feram fortiter, cum tamen hac excussisset ictum, recordans quod audisset, non solere ursos cadavera morsu attingere, in terram se, quasi mortuus

esset, abiecit. Vrsus autem naribus ad os & aures illius admotis captare anhelitum. & tentare an spiraret, Sed ille animum continente, ursus mox discessit. Tum igitur & venator se erexit, & cerdo de arbore descendit, atq; jam animis receptis, inter alios sermones percontati cerdo de venatore, quid in aures ipsius fera insusurrasset? cui venator respondet: Monuisse illam diligenter, ne posthac unquam ursi pellem nondum capto & confecto ipso, vendendam existimaret.

Fabula hoc, quod Græcum proverbium: Non esse ante victoriã exultandũ admonet, ne securitate & temeratijs animis dubia pro certis habeamus.

Leo & Mus.

LEo captus laqueo, orabat murem, se ut corrosis plagis liberet de impendente interitu, promittitq;, se accepti beneficij nunquam esse obliturum. Mus facilè, quod leo flagitârat, cum effecisset, petijt ab illo, ut filiam sibi collocaret in matrimonium suam. Leo, quamvis res ea sibi videretur indigna & absurda, noluit tamen auctore vitæ & salutis suæ, quod postulaverat, denegare. Spondet igitur filiam, sed hoc tamen monet, cogitet musculus, vix fieri posse in tanta inæqualitate, nuptiæ ut felices sint. Sed mus in sententia permansit. Cum igitur nova nupta leæna juvencula & ferox ad maritum deduceretur, obvium eum, non visum neq; animadversum, pede conculcatum obtrivit.

Fabula ostendit, amicitias potentũ esse periculosas

culosas, etiã nõ rarò damnosas humilibus, & parvorũ sodaliũ esse expetẽdũ usũ parvis. Sed & hoc monet, quod proverbiũ Græcũ, translatũ de turbinis ludo, Agitandũ aptum & convenientem. Undè hoc factum:

Quæ cupis egregiè nubere, nube pari.

Cera.

CEra invidebat lateribus duritiem: quam de igne consequi illos videbat. Abjecit igitur & sese in flammam, futurum sperans, ut & ipsa induresceret: sed contrà accidit, celeriter ut difflueret, & liquefacta ab igne cõsumeretur

Docemur, non esse appetenda ea, quæ sint à naturâ nobis denegata.

Agricola.

CVm esset pertæsum agricolam sempiterni laboris in terra fodienda & aranda, ingq; varia & difficili cultura arvorum, animum ille ad militiam adjecit, quod multos audisset rem & famam belli gloria quæsivisse. Fundo igitur vendito, exornatus & instructus armis cæterisq; rebus necessarijs militatum abit. Sed re malè gestâ vulneribusq; acceptis vix servatus de prælio, mercaturas potius facere statuit, quod & his locupletatos & auctos quamplurimos animadverteret: navem igitur conducit, & merces comparatas diversorum generum in illam imponit spe magna futuri lucri. Sed cùm veheretur in mari, de improviso (ut fit) tempestas oritur & navi fracta, ipse unà cum mercibus fluctibus obruitur atq; perit.

Fabula.

Fabula hoc dicit: Mutantes conditionē & fortunam suam, plerunq; quod fugerint relinquendo, alibi reperire duplicatum.

Amnis.

Contempsisse præ se amnis fontes suos fertur, cum & ipse pistibus abundaret, & flumine largo, nec non grato alicubi murmure delaberetur. Quin etiam, inquit, tu intra mustes istos tuos & herbulas deletes, ego præter & amœnissima loca terrarum, & celeberrimas urbes & populos ac gentes maximas feror. Fontibus offensis superbiā & protervitate alumni, placuit reprimere scaturiginem suam. Ita origine extincta, celeriter defecerunt undæ fluvij, & amnis exaruit.

Notat fabula eos, qui sibi arrogant auctoribus ea bona, quæ aliunde accepere: & docet, ab ingratis deterrimi vitij gravissimas pœnas dari solere.

Cornicis consilium.

Aves deliberabant de creandis pluribus regibus, quod sola aquila tàm lati imperij habenas moderari posse non videretur. Sed cornix hoc agendum non censuit: nam & facilius, inquit, atque citius unum delium completur, quàm multa, & ad plura diversaq; signa eodem momento oculos dirigere quis possit?

Fabula & populis multitudinē imperātiū onerosam esse, & nō benè regere plures indicat, secundum sententiam Homericam.

Non

Nõ benè turba regit, Rex gẽtibꝰ impetuꝰ.
Unus & acceptas rerũ moderetur habenas,
Qui Saturnigenæ tenet istud nomine donũ,
Ut sceptro populos & jure coërceat æquo.

Proximus sibi quisque.

Cujusdam perquàm laudatæ fœminæ maritus gravitèr ægrotabat, neq; posse diu vivere credebatur. Hoc illa ita dolenter ferre, ut mortem sæpissimè lamentis & ejulatu maximo citaret ad sese pro marito tollendum. Dicitur tum mors toties vocata tandem affuisse. At illa territa horribili specie, & perculsa animo mutato, subitò voluntate, & mortem ad lectulum deduxisse fertur, & indicato viro eum esse dixisse, cui esset moriendum.

Doctrina fabulæ præscripta est. Omnes enim ajũt, sibi melius esse velle quàm alteri.

Adolescens cantans in funere matris.

Deducebatur funus defunctæ mulieris prodeuntibus anà patre & filio, conductuq; qui monodiam, ut fit, concinerent. Ibi filius inter lugentes incedens cum patre, & ipse cantare cœpit. Pater autem increpat adolescentem, & dicit insanire, qui in luctu cantet. Adolescens autem: Quid ego igitur, inquit, ago aliud, quàm isti, quos ad concinendum tu conduxisti? Sed non debuit inquit pater, te hoc tempore, quod illos.

Fabula docet, omnem laudem vitæ, & id quod decorum vocatur, totum temporibus & loco & personis contineri.

Asinus ægrotans.

INCREBVErat fama, asinum jacentem in morbo, non procul à morte abesse. Veniunt igitur ad domum, in qua ille decumbebat, canes & lupi, & ostium aperiri, & se intromitti ad visendum ægrotum postulant. Sed asellus parvulus per rimam januæ respondet: Nihil hoc officio opus esse patri suo, atque eum meliùs etiam valere, quam ipse vellent.

Simulata & fallacia officia hâc fabula notantur.

Mulier & Nux.

MVlier nucem interrogasse dicitur, quare afflicta illa demùm uberes fructus ferret? Quia enim & tu inquit nux, verberibus affecta melior reddi, & asinus plagis incitari solet.

Fabula docet, quod in aliũ dicatur, audiendum etiam esse, juxta versum Homericum,

ὁπποῖον κ' εἴπησθα ἔπος τοῖον κ' ἐπακούσαις.

Asini vota.

CUM hyems asino ob frigus & arida pabula admodùm pravis videretur, expetebat ille ardentibus votis verni temporis viriditatem & teporem. Sed illo tempore cum crebriore agitatione exerceretur, æstatem advenire opta-

optavit. Quæ cum præter alios labores etiam onere frumenti ex arca & fructus ex hortu deportandos ipsi imponeret, reliquus erat autumnus, quem expectabat quietiorem. Sed per illum quoq; vindemiæ & lignatus molestiis & defatigationibus pressus, ad hyemis reversionem desiderium suum retulit.

Docet fabula, totã vitã in laborũ tẽpora distribui. Nam secundum Menandri versum:

δεῖ τοὺς γινομένους μέχρις ἂν ζῶσιν. πονεῖν.

Notat & vulgatem levitatem, quæ præsentem fortunam nunquam boni consulere solet, secundum Horatianum hoc:

Optat ephippia bos piger, optat arare caballus.

Mures & Felis.

Mures felem placidè accubantem cum multùm & diu contemplati fuissent, tum unus: Libet, inquit, cum ista mitissima (ut apparet) & mansuetissima animante familiaritatem contrahere, atq; his dictis ad felem accessit, & blandè compellavit, quæ illum statim comprehensum dilaceravit. Hoc intuentes alij mures: Quantoperè, inquiunt, nostrum popularem species fefellit!

Fabula docet, de vultu & specie animum atq; mores certè intelligi non posse, πολλάκι γὰρ γνώμην ἐξαπατῶσ' ἰδέαι. Et imposteros & insidiosi simulant benevolentiã & odiũ atq; cõsilia perniciosa regũt, secũdũ hoc: οδυσσ ρ.

ἔσθλ' ἀγορεύοντες, κακὰ δὲ φρεσὶ βυσσοδίμενον.

Et hoc: οδυσσ. σ.

οἵτ' εὖ μὲν βάζουσι, κακῶς δὲ ὄπιθεν φρονέουσιν.

Asinus lapsus.

Asinus post longam & probatam servitutem suam, & multas onerum atq; bajulationum egregias operas, quodam tempore sub valdè gravi onere, cum ad saxum improvisus offendisset, in via cecidit. Tum accurrit agitator, & acerbissimis verbis, atq; vehementibus etiam plagis illum petit. At asinus secum, & suam conditionem deplorare, & accusare ingrati domini sævitiam, qui oblitus omnium priorum, ob unam fortuitam offensam, tam graviter se affligeret.

Fabula significat, ferè homines quid quoq; tempore fiat, non quid aliquandò factum sit, spectare, & unum sæpè delictũ memoriam multorum egregiè factorem inducere ac delere.

Hystrix & Lupus.

Hystrix Africanum & Indianum esse animal perhibetur, non absimile erinacio, de longioribus aculeis armatum, & ijs quidem missilibus, quos soleat ejaculari in persequentes. Huic insidians lupus, ut spicula ponat, neq; in illis sine causa perpetuò oneret, suadet. Cum autem opus sit & res poscat, tum uti resumat. At illa: Nunc igitur, inquit, his opus: Nam lupo inermem occurrere periculosum est.

Fabula monet, ut adversus hostiũ & inimicorum

rum vim ac fraudes semper muniti & defensi esse studeamus.

Mus & Milvius.

IRretitus & implicitus laqueis milvius, exorat musculum, se ut liberet. Hoc ille facilè corrosis plagis effecit, tum milvius eum arripit & devorat.

Ostendit fabula, quam gratiam pro beneficijs acceptis mali reddere soleant.

Testudo domigera.

ALiud alijs animantibus à Jove donum petentibus, facultatem hanc petijsse testudo fertur, domum ut suam absq; incommodo quolibet secum circumferre posset. Quid ad hoc petendum ipsam moveret interrogata, respondit: Malorum vicinorum metum, in quos si fortè incidisset, nihil esse negotij futurum, ut migratione sua declinaret, si domum portabilem haberet.

Infamat vicinitatem improborũ fabularem deterrimam & execrabilem, bonorum autem vicinitatem commendat, secundum Hesiodi versum:

πῆμα κακὸς γείτων, ὥσπερ τ' ἀγαθὸς μέγ' ὄνειαρ.

Erinacius & Vipera.

IMPETRAVERAT à vipera erinacius, per brumæ frigora in suam ipsam ut cavernam acciperet. Cum autem in augusto loco spinis hospitis pungeretur vipera, postulat ut suam domum sibi relinquat, & aliè demigret, cum intel-

intelligit illam ambos capere non posse. Sed erinacius ferunt respondisse. Si quis durare illic nequeat, ei suâ causâ, ut exeat licere. sibi discedere in animo non esse. Si vipera habitatione offendatur, posse hanc mutare. Ita hospitis injuriâ cavernam suam illa amisit.

Monet fabula, ne cum illis nos facilè cõjungamus, in quorum potestate nos aut res nostræ postea futura esse videantur.

Lepus & Vulpes.

ANteponebat se vulpi lepus, cui pedum pernicitate præstaret. At vulpes dicere, se ingenio vincere, cujus esset multò & frequentior & præclarior usus quàm pedum.

Fabula incredibilem esse ait bonitatem, prudentiæ, neq; corporis maximas dotes cũ minimis animi dotib⁹ comparari rectè posse. Itaq; & ab Apollonio introducitur præclarè Amphiõ qui suo cantu bis tantò majorem lapidem alliciat, quàm nitendo summis viribus Zethus afferre potuisset.

Lupus.

INDUERAT pellem ovis lupus, atq; cum ita ignoraretur aliquantisper impunè in gregem fuit grassatus. Sed Pastor mox animadversa fraude, necatum hunc de arbore suspendit. Hoc qui pelle decipiebantur admirantibus: Pellis quidem est, pastor inquit, ovis, sed sub hac lupus latebat.

Habitus & vultus indicia non habenda pro certis, fabula docet; ideoq; facta & rem spectari oportere.

Canis

Canis & Pastor.

Pastor reprehensum canem, cui custodiam gregis commiserat, in cæde & devoratione ovis, arripit interfecturus, sicuti commeruerat. Cui canis: Cur tu, inquit, tuos vis perdere? Meos quidem, inquit ille, nocentes & scelerates multò quàm externos magis, præsertim eos à quibus fidelitatem & benevolentiam speraverim.

Fabula hoc monet: Non mirandum neq; graviter ferendū, si inimici nos ledant, qui profiteantur odia sua, ut nisi caverimus, neminem nisi nos ipsos accusare debeamus. Sed hoc esse indignum & animadvertendū, si amici & beneficijs à nobis affecti animum mutent, & fallant opinionem nostram, & insidientur capiti fortunisvé nostris.

Aries & Taurus.

Aries, qui inter pecora principatum teneret, superbiâ elatus, cum tauro congredi ausus fuit. Qui ita illum accepit, ut moribundum reliqueret in deploratione temeritatis & serâ pœnitentiâ.

Monet fabula, non esse adoriendos viribus præstantiores.

Asinus puniceus.

Fertur quodam tempore mater fuisse hortata juvenculam filiam, cujus ante aliquot menses maritus mortuus fuisset, alteri ut nuberet. Filiam autem dixisse, cupere quidem se obsequi illi, sed reformidare sermones hominum

minum. Tum matrem fœminam prudentem accepimus, puniceo colore asinum domesticum curavisse infici, ut nova illa species omnibus esset admirationi. Itaq; quamplurimi primum ad conspectum accurrere. Postero autem die diminui spectantium numerus, tertiò deinde, & quartò magis. Postremò solus asinus jam ut ante incedere. Hoc exemplo docuit filiam mater, sermones hominum de conjugio secundo ipsius, etiamsi existerent aliqui, tamen futurum, ut celeriter illi conticescerent.

Fabula docet, insolita omnia tempore exuere admirationem.

Aquila & Cuniculus.

AQuila raptos pullos cuniculi detulerat in nidum suum, quem in altissima arbore fixerat. At mœsta mater, ut suis parcat, per omnes illam deos miserorum curatores obtestatur. Sed aquila cuniculi precibus contemtis, & despectâ humilitate dilacerat pullos cuniculi & suis prædet discerpta membra. Hic verò dolore & irâ commota, suo cum genere conqueritur aquilæ vim, & ut quisq; sibi idem, quod ipse pertulerit, accidere posse cogitet, neq; illud facinus impunè ferre aquilam sinant, hortatur. Ita concordè illi studio ad eruendam arborem, in qua nidularetur aquila conveniunt, & egestâ à radicibus illius terrâ, omniq; circumeam solo specubus excavato, ita impulsa arbor levi flatu paulò pòst in terram prosternitur. At pulli aquilini partim ruinâ, partim raptu terrestrium ferarum interiere, & arbitrati cuniculi gratissimum spectaculum præbuere.

Docet

Docet fabula, ne quis potentiâ aut viribꝰ fretus alium quemlibet despiciat, nã & infirmitatem sæpè acceptas injurias ulciscì.

Ovis & Pastor.

EXpostulabat cum pastore ovis quodam tempore, quod non contentus omne lac emulgeret sibi, lanam etiam detonderet & cuticulam nudaret: atq; inter hæc & maledicere illi audebat. Tum Pastor iratus, arripuit agnum primigenum illius & mactavit. Ovis etiam pœnâ, ut multi solent, reddito commotior: Quid ergò nunc restat, inquit, quod malefaciat? Egone tibi, inquit pastor? Te etiam ut jugulem ipsam, & pellem detrahàm de corpore tuo, carnibusq; pastus ossa tua projiciam canibus, & pellem tradam macerandam pellioni. Siluit igitur ovis majorum malorum metu repressa.

Fabula subijcit præceptũ moderationis, ne indignatione irritemus adversa πρὸς κέντρον λακτίζοντες. Docet hoc quoque, gravibꝰ malis & ærũnis elationẽ animi reprimi solere.

Rota & Vector.

QUare tu, inquit rotæ vitiatæ vector, totum hunc diem nobis stridores tuos obgannis? Quia enim, inquit, rota, graviter laboro & vehementer afflicta sum, qui ergò possum non queri atq; lamentari?

Fabula ostẽdit, miseris & calamitosis ignoscendũ esse, si fletus & querimonias usurpẽt.

Vulpes

Vulpes leporis laudatrix.

CVm non procul abesset, quin canu vulpem insequens illam deprehenderet, conversa ad auxilium fraudulentiæ vulpes, cum fortè leporem in propinquo conspexisset, miris modis collaudare cani suavitatem carnis leporinæ. Canis vulpe relictâ leporem cœpit sequi. Hic verò celeritate pedum elapsus, graviter accusare postea vulpem à quâ canis proditus esset. At enim ego te, vulpes inquit, studiosè laudavi.

Malorum laudes esse nocentes docetur.

Vulpes & Lepus.

ORABAT vulpes Jovem, ut calliditatem ingenij sui velocitate cursus ornare vellet. Lepus autem celeritati suæ adjungi versutum animum petebat. Jovem hi ferunt respondisse: A se in animantes singulas liberaliter esse certa dona & beneficia collata, nec uni se largiri omnia oportuisse. Hanc enim benignitatem erga unumquempiam, summam iniquitatem erga universos alios futuram fuisse.

Hoc ait fabula: Non uni dat cuncta Deus.

Equus inornatus.

COMPLURIBUS Equi ad certamen cursus & celeritatis comparatis, & secundum factiones ornatis, cùm phaleris, tùm coloribus conspicuendis & illustribus, unus inter eos cum loris cotidianis, firmis illis quidem atq; habilibus fre-

bus freni, sed minus versiculoribus & speciosis, etiam productus fuera. Hunc igitur videre alij, & præ se quisq; contemnere. Postquam autem ad certamen ventum fuit, hic palmam obtinuit.

Subjicit & hæc fabula sententiam Theognidis: Sæpè decipi animos specie. Et docet, nõ spectandũ habitũ & ornatũ, sed virtutẽ. Latet enim sæpè sub pallio sordido sapiẽtia.

Vox Hædi.

REpulsus sæpe numerò clientulus pauper à patrono, quũ sibi non vacare, quoties ille adveniat. diceret: asservet tandem tenellum hœdum in ædes illius, & stans in atrio vellicabat hœdum, ut vox illius exaudiretur. Tum patronus suis, Ecquid adest, inquit, qui consulere vult? Et clientulo toties ante repulso. Quid narras, inquit tu? Causâq; cognitâ, consilio adjutum, dimisit.

Fabulæ eadẽ est doctrina, quæ Ovidianæ sententia, Placari donis deos & homines.

Senex & Adolescens.

CONSPECTUM senex adolescentem, qui de sua arbore poma carperet, hortatur, ut aliena ne invadat atq; rapiat. Hunc adolescens de arbore irridere, & poma, ut cœperat, decerpere. Tum senex: Herbas, inquit, audivi magna vi & efficacitate pollere: vellit igitur herbas, & contra adolescentem projicit. Hic verò in cachinnos effundi & senem delirare credere. Ibi senex: Nihil quidem

herbarum, inquit, ut intelligo vires erga istum valuêre; sed & lapides, de quibus sæpè mira, quantum illi possint, audire memini, experiar, atq; collecta saxa in furem conjecit, atq; illum de suis pomis facilè abegit.

Fabula Terentianâ subijcit sententiâ: Omnia priùs experiri quàm armis, sapiente decet.

Docet & hoc, senilis prudentiæ, quæ hujus ætatis propria est, esse impetum lentum, sed vehementem.

Luscinia & Accipiter.

LVscinia accipitrem, à quo comprehensa fuerat, orabat, se ut dimitteret, neq; id enim gratuitò facturum esse ajebat. Pretium quodnam futurum esset roganti accipitri, respondit, suavissimi carminis sonus. At ego, inquit ille, non aures meas, sed ventrem expleri cupio.

Fabula potest ad duos sensus, eosq; dissimiles accommodari. Primum, ut intelligamus, imperitos homines liberalibus studijs atq; artibus non capi. Alterum, necessaria, jucundis anteferri oportere.

Culex & Apes.

BRumæ frigore & insuper fame laborans culex, ab apibus petijt, intrà ipsarum alvearia recepto sibi ut cibum impertirent, ob quod mieritum se illarum filios canendi artem edocturum esse pollicebatur. Tum una de examine: Nihil, inquit, tua est arte opus liberis nostris, qui à nobis multò meliorem & magis salutarem discere poterunt.

Mone

Monet fabula, ita instituendos liberos, & ejusmodi artibus instruendos, ut suâ operâ ipsi victum sibi quærere sciant.

Leo, Asinus, Lepus.

Leo cum bello contra volucres suscepto copias suas recenseret, prætereuntem asino & lepore, quasnam ad res uti posse speraret, urso interroganti respondit: Asino tubicine, & lepore tabellario.

Fabula docet, neminem esse tàm pravum aut humilem, cujus non alienâ in re opera utilis esse possit.

Accipitrum pax.

Accipitres quodam tempore inter se acerrimè belligerabantur. Hos columbæ in gratiam redutere & à dimicatione mutuâ cædibus abducere conatæ, perfecere, ut pacem illi inter se ferirent. Quâ firmatâ, tàm in columbas, quàm in reliquas minutas aviculas ipsi concordes, vim & ungulas convertere.

Docet fabula, utiles esse saluti bonorum discordias malorum, ut ferunt Melanthium sine joco seu seriò, ut dicere solitum: Rempublicam Atheniensium servari dissidijs oratorum. Quod, cùm non incumbant universi quasi in unum latus navigij, fiat, ut ab alterâ parte veluti pondere oppositò administratio liberetur.

De Mortis nuncijs.

Cùm Hercules reliquisset superatum Letum ad bu-

stum Alcestidos, ubi illud jaceret anhelans & exanimatum, miseriam illius quendam Pheræum qui transiens aspexisse, recreasse ipsum & perfecisse ferunt, ut vires pristinas recuperaret. Ob hoc beneficium Letum promisisse illi memoriam à se grati animi, & cum non prorsus parcere ei posset, non tamen se oppressurum esse de improviso benefactorem suum, sed missurum prius, qui monerent, quiq; indicarent, quod appropinquaret Letum. His pollicitis Pheræus elatus, animo securo vitam egit, cumq; minimè meueret, Letum ad se auferendum adesse cognovit. Questus igitur ille gravissimè perhibetur, se circumventum fraude arripi, & Leti vanitatem accusasse: nemiuem enim prænunciasse adventum ipsius. Cui Letum narrant demonstrasse, plurimos à se nuntios ad eum perveniss̄e. Nam & annos ante sex febri, & post duos rursum gravedine ac destillationibus eum laborasse: Intereaq; sæpè eum tussi, sæpè capitis doloribus conflictatum. proximè etiam anhelasse. Quibus omnibus ut accedentis Leti nuncijs non longissimè illud abesse commoneri debuerit. Quin etiam, inquit, paulò ante adventum meum, germanum fratrem ad te misi, veternosum illum soporem, in quo aliquantisper pro mortuo jacuisti. Ita probatâ fide suâ, quodq; promissum fecisset, Pheræum lamentantem & multebriter ejulantem arripuit.

Docemur, de valetudinis imbecillitate & morbis cognoscendâ immortalitatem: neq; mortem omnibus necessariò oppetendâ, nimiùm perhorrescendam esse.

Vulpes

Vulpes & Hircus.

Siti correptu hircus & vulpes in prfundum puteum desilierunt: cumq; illam sedaviſſent, hircus cœpit circumſpicere & quærere, quâ de aquis evadent in terram poſſet. Cui vulpes: Bonum, inquit, animum habe, nam mihi conſilium ſubijt, quo uſi ſervare poſsimus ambo. Si enim te in poſteriores pedes erigens, priores parieti iſti applicueris, & caput altè cornua ut obliquè reclinentur, extuleris: tum ego de tergo tuo in hæc aſcendere atq; deinde exilire de puteo, & te mox etiam atrahere, facilè potero. Ad hæc cùm ſe hircus paratum eſſe diceret, & obſequentem præbuiſſet, evaſit de puteo vulpes, atq; ibi læta circum fauces exultare, & deridere hircum cœpit. Ille verò hanc graviter accuſare, & perfidiæ inſimulare. Cui vulpes illudens: At tu, inquit, hirce, ſi tàm cordatus eſſes. quàm barbatum eſſe ſcimus, nunquam in iſtum te locum, non exploratо reditu, immiſiſſes.

Significatur hâc fabulâ, viros prudentes, priuſquàm quicquâ aggrediantur atque incipiant, prævidere & conſiderare, quonã illud evaturũ, & quẽ finẽ habiturũ eſſe videatur.

Gallinæ & Perdix.

Quidelectabatur alendis gallinis, allata ſibi fortè perdicem addidit ad cohortem illarum. Quæ cum miseram morſibus impeterent, & ab eſca repellerent, ſingulari illa dolore animi afficiebatur, quod ſibi hoc, quæ aliena eſſet, eoq; illis nomine inviſa accidere putaret. Paulò pòſt

videt ipsas quoq; illas se mutuè conscindere. Tum se consolata, Si inter se, inquit, istæ inimicitias gerunt, neq; pari sunt sibi, ferenda scilicet mihi æquo animo fortuna mea.

Hoc fabula sibi vult, prudentibus magno esse solatio considerationem communis sortis & conditionis cum animadvertūt, neminem esse, cui non mala & adversa plurima obijciantur: Eosdem libenter etiam comparare sua mala cum aliorum malis, qui respectus sæpenumerò opinionem magnitudinis his adimere soleat.

Gloriator.

REversus in patriam suam, unde aliquot annis abfuerat in omnibus cœtibus gloriabatur, & jactabat sermone præclara facinora sua: atque se in insula Rhode saltando signum fixisse, quod nemo omnium, qui adessent, assequi potuisset. Hujus se habere testes universos Rhodienses ajebat. Tum unus de circulo: Heus tu, inquit, si vera prædicas, hoc esse loco Rhodum puta, & hic saltum istum edito.

Fabula hæc subjicit, quod & Demosthenes dicit, vanam esse orationem omnē, quæ rebꝰ deficiatur. Proverbiū autem hoc usurparunt veteris in ostentationibus gloriosorum retundendis, ut sic illos increparent: Hic Rhodus, hic saltato.

De Apollinis tentatore.

TENTATURUS Apollinem, deorum quidam contem-

contemtor & callidus, per sacerdotem fatidicam illius, in templum venit Dei, uti omnia pro ritu superstitionis illius apparata essent, occultatum manu sua passerculum continens, cumq; ante fortinam, quem Τελεσφόρα Græci vocarunt, astitisset, sciscitatus est: Viveretne an mortuum esset quicquid in manu teneret, ratus se facilè in utramq; partem datum responsum refutaturum esse. Tum vates de numinis instinctu hæc fertur cecinisse: (cælat

Quicquid id est, tectũ tua quod nũc dextera
Vel vivit, vel jã moritur, nostriq; videbũt.
Alteruträ in prolato oculi, sed te penes hujo
Arbitriũ facti est, & ad hoc mẽs nostra recurrit.

Discendum hoc est: In rebus divinis maximè, sed & erga sapiẽtes nõ ferè quicquam valere fraudes & astutias improborum.

Mulier & Gallina.

MVlier vidua gallinam habebat, quæ singulis diebus ovũ unum pariebat, quæ si curavet diligentiùs, & siginaret gallinam, sperandum esse existimabat, ut bina aut terna illa quotidiè ova parerat. Cũ autem cibo superfluo opima gallina & pinguis facta esset, planè tum parere ova desiit.

Ostendit fabula cupiditatem avaritiam sapè detrimentosam esse. Et scripsit Demosthenes hæc, quoq; præclarè: Rebus secundis nõ, esse modũ neq; finẽ cupiditatũ, Itaq; multos sæpè avidos fortunæ melioris præ-

sentia bona admittere. Et secundum Aristotelem ἄπληστον ἡ πονηρία τῶν ἀνθρώπων, id est, insatiabiles sunt cupiditates in proborum.

Vulneratus à Cane.

QVem canis momorderat, circumiens medicum quarebat. Cui notus quidam obviam factus cognitâ re, suasit ut in panem recentem exprimeret cruorem & sanies vulneris, atq; comedendum hunc obijcere cani, à quo læsus esset, id enim salutari ipsi futurum esset. Tum saucius cum risu: Hoc remedio, inquit, ego scilicet in me omnium, qui in urbe sunt, canum morsus irritavero.

Docet fabula, nullo beneficio parvos ab injurijs deduci, atque plerunque reddi benignitate aliorum deteriores.

Thunnus & Delphinus.

THunnus delphinum persequentem fugiens, eum incitatissimo ferretur impetu fluctibus ad insulam appulsus, in illam una cum Delphino ejicitur. Ibi Thunnus conversus, & Delphinum conspicatus vitâ defici, non sibi jam magis suam mortem tristem futuram esse ajebat, quia cerneret autorem illius una secum interiturum.

Hoc fabula demonstrat, æquiore animo suas miserias ferre homines solere, si illarum autores ijsdem irretiri intelligant.

Fiber.

FIbrum esse quadrupedem animantem, qui ferè in aquis degat, atq; ejus pudenda magnum in medicinis usum habet

bere accepimus. Hic igitur, quoties urgetur vi hominum non ignarus, cujus rei gratiâ petatur, præmordet ipse pupendæ sibi suæ, & contra insequantes projicit, atq; ita sæde numero conservatur.

Significat fabula, similiter & prudentes homines salutis suæ conservandæ gratiâ, jacturâ facultatum libenter facere, ut in Poëticis fabulis legimus, non fuisse coriora Hippomeni poma aurea, quàm vitam suam, quibus abjectis, illam retinuerit.

Divinator.

Divinator in foro respondebat consulentibus, cùm subitò illi nuncius advenit, patere fores domus ipsius neq; intùs quicquam reliquum, sed omnem supellectilem esse direptam. Quo perculsus animo ille exilijt, & curriculo ad ædes suas contendit. Hunc conspicatus festinantem quidam: Heus tu, inquit, cum alienarum rerum prædictiones profitere, cur tuas negligebas.

Notantur hâc fabulâ ij, qui cum ipsi perperam vivant, aliena omnia curare & corrigere oratione suâ non dubitant. Simul & hoc Xenophonteum innuiter:

τὰς μάντεις ἄλλοις μὲν προαγορεύειν τὰ μέλλοντα, ἑαυτοῖς δὲ μὴ προορᾶν δοκοῦν.

Ægrotus & Medicus.

Ægrotus quidam à Medico suo interrogatus, quo pacto præteritum noctem peregisset, respondit se adinodum-

dum sudasse. Hoc, inquit medicus, bonum est. Postridiè reversus, similiter percontatus ægrotantem, audivit horrore fuisse ipsum vehementi concussum. Hoc, medicus bonum, inquit, & ipsum est. Tertiò scisitatus, quomodo haberet, cognovit aquam inter cutem effusam affligere hominem. Sed & hoc bonum esse dixit. Digresso medico, accessit ex amicis unus ægrotum, &, Quid fit, inquit, & quo in loco sunt res tuæ? Optimo, inquit ægrotus: Nam multitudine bonorum extinguor.

Fabula indicat, non alijs homines magis succedere, quàm ijs, quos in suâ gratiâ mentiri, & à quibus assentationibus se falli animadverterint.

Auceps & Cassita.

Auceps laqueos disponebat, & struebat insidias avibus, cujus opera contemplans cassita, quid rei ageretur admiratus, accessit propiùs, sciscitatur de homine, quid struat. Respondit ille, se urbem condere. Atq; omnibus perfectis, occultat se intra ramos arborum. Cassita ad novam urbem aspiciendam celeriter advolat, & laqueo implicita capitur. Cumq; accurrisset auceps, tristis hæc illi: Si tales urbes condis, inquit, non facilè multos incolas reperies.

Fabula monet, malè coli atq; habitari cùm oppida tùm domos, in crudelitate & rapinis principum.

Viator.

Iter quidam longo fatigatus votum fecit, dimidium ejus, quod reperisset, se Mercurio consecraturum.

Cum

Cum autem incidisset in sacculum, refertum palmis & amygdalis, illo sublato, fructus quidem comedit, nucleos autem palmarum & amygdalarum testas in aram imposuit, quod se solvere votum diceret, atq; inventa cum Mercurio partiri, de quibus extima & intima illi offerret.

Castigantur hâc fabulâ avari, qui etiam deorũ ipsorũ respectũ postponunt cupiditatibꝰ suis.

Puer & Mater.

Ibat in ludum literarium puer parvulus, atq; illic condiscipulũ suas tabellas negligentiùs asservantibus, sussurari eas & asserre matri solebat. Ea pueri furtis delectabatur, tantùm aberat, ut ob delicta filium suum castigaret. Iratq; ille, quod in pueritia facere assueverat in parvis, grandior in magnis etiam exercere cœpit. Deprehensus autem quodam tempore in manifesto furto, & capite damnatus, ad supplicium cum duceretur, valdè obsecravit carnificem, ut sibi matris, quam sequi cum lacrymis & ejulatu animadverterat, compellandæ potestatem faceret. Qua re facilè impetratâ, os ille, tanquam arcanam quandam orationem habiturus cum matre, ad aurem ipsius applicat, & morsicùs hanc arripit. Quod factum non solùm matre, sed tota etiam multitudine indignè ferente, neq; solum ut furi facienti convicia, sed etiam ut impio docuit ille, matrem se ultum ut potuisset, cur sum sibi exitij & ignominiosæ mortis? Si enim, cum quondam, inquit ad eam, pueriles afferebam tabellas, me castigasset, non processissem eò usq; audacia, quâ nunc ad crucem adigor.

Monet

Monet fabula, neglecta delictorum supplicia in causâ esse solere, ut illa majora fiant & cumultiora.

Pastor & Mare.

Pastorem, qui gregem suum fortè appulisset ad mare, cum cerneret istud stare placidum & quietum, cupiditas incessit navigandi, & mercaturas faciendi. Venditis igitur ovibus suis mercatur palmas, & navem imponit, atq; ita in altum provehitur. Ortâ autem tempestate, cum periculum esset, ne navis fluctibus deprimeretur, mercibus ejectis in undas ægrè vacua navis fuit conservata. Post dies paucos, cum ad mare pastor tristis sederet, prætereunte quodam, & secum tranquillitatem maris (nam tempestas aberant) admirante: Ego, inquit, pastor, scio, quid sibi velit hæc maris tranquillitas: nam alias palmas profectò quærit, quas devoret.

Docet fabula, malis acceptis homines cautiores in posterum reddi solere.

Luscinia & accipiter.

Cantantem, ut consueverat, ab arbore procerâ luscinium rapuit esuriens accipiter. Quæ cum intelligeret, sibi mortem impendere, ad preces conversa, orat accipitrem, ne se perdat sine causa. Non enim suam exilitatem avidissimum ventrem illius posse explere, itaq; suadere, grandiores eas volucres venatur. Cui accipiter: Insanies, inquit, si partam prædam amittere, & sequi vellem ea, quæ nusquam apparent.

Intel-

Intelligendum, similiter & homines incogitantes quosdã reperiri, qui spe majorũ præsentem copiam despiciant atq; negligant.

Vulpeculæ.

ELapsa vulpes de laqueo, sed mutila, nam caudam amiserat, non vivendum in tanta deformitate sibi esse existimans, cœpit in commune suadere omnibus, ut & ipsa præcidi caudas sibi paterentur: cupiebat enim in turba & societate turpitud; niũ suum vicium quasi occultare. Quid enim, inquit, hæc & indecoras & supervacaneum onus gestamus, ve potiùs attrahentes defatigamur? Aut cuinam, obsecro, res utiles sunt, nisi forte verrendum solum conduximus? Parentem dicere pluta, una de multitudine juvencula fertur interpellasse hùc verbis: Hem tu, mea matercula, nùm fueras hoc susura etiam, si nen tibi emolumento futurum esse sperares?

Significat fabula, neq; aliorum commoda, deliberationibs malorum proposita esse, neq; libenter homines ea consilia admittere, quæ non eorum, quibus dantur, commoda spectare atq; procurare videantur.

Vulpes & Sentes.

INSILIERAT, forte in spinosas vepres vulpecula, cum laboretur, sentes apprehendit, in quibus innitetur, ab his sauciata, cum cruentis pedibus & magno dolore: Siccine, inquit, sceleratæ sentes, accipitis supplicem vestram? Cui sentes responderunt: Valdè eam deceptam fuisse

fuisse, quæ vellet sese apprehendere, cùm ipsæ apprehendere, & retinere alia omnia consuevissent.

Ostendit fabula, stultè facere eos, qui opē & auxilium ab illis sperent, quibus insita sit malefaciendi & injuriarum voluntas.

Vulpes & Crocodilus.

CRocodilus ægyptiacum est animal, tetrum aspectu, atq; monstrosum, speciè lacertæ, cute rugis & squamis horridâ vastum atq; informe. Inter hunc & vulpem quodam tempore certamen de generis nobilitate extitisse narrant. Cùm autem Crocodilus & majorum suorum multa præclara facinora, & à se fortiter res gestas prædicatione sua excolleret, respondit vulpes: Nihil opus esse verbis, nam de pelle apparere omnia.

Hoc fabula innuit, Medaces ipsâ re solere coargui & refutari.

Vulpes & Lignator.

AGitata vulpes à canibus longo spacio fugæ confecto, devenit tandem ad casulam, ante quam lignator findebat stipitem quernum, ad eum supplex confugit orans, ut sibi latebras aliquas demonstraret, in quibus dum venatores præterirent, occultaretur. Ille misericordiâ motus suam casulam jubet subire, ibi sperare se illam i[illegible]to futuram: postea recordatus animantem illam esse nocentem, & tamen manifestè prodere supplicem non ausus, in secutis venatoribus, & num vulpem vidisset percontantibus, vidisse quidem

quidem ille verbis negabat, sed manu oculisq; cæsulam suam indicabat, ubi volebat intelligi, jacere vulpeculam. sed venatores non animadverso indicio, & attendentes orationi, celeriter discedunt. Vulpes, quæ & audierat, & viderat omnia, progressa mox de cæsula, abire insalutato lignatore. Quod cum ille ægrè ferret, tanquam cum ingrato expostularet, Etenim salutem tu mihi debes, inquit, & meo beneficio vitam retines. Tum vulpes: Agerem, inquit, gratias ego tibi, si cum oratione tua manus & oculi consentirent. Quod si dicendum aliquid est, ego quidem linguæ benè precor. sed manus præcisas, & oculos tuos effossos velim.

Fabula contra eos narratur, quæ in verbis benè pollicentur, re autem malefaciunt.

Homo & Statua.

Quidam domui suæ consecratâ divi nescio cujus ligneâ statuâ, colore hanc & sertis ornare assidue solebat, & petere ab hoc divitias & opes. Sed hoc cum frustrà longo tempore fecisset, non modò etiam non augebatur res ipsius, sed etiam diminuebatur. iratus tandem apprehensum pedibus simulacrum terræ inixit. Illiso autem forte ut suxam capite effractoq;, magna vis auri effunditur, quod in eo fuerat inclusum. Hoc colligens ille: Magna est, inquit, perversitas tua dive, qui venerantem neglexeris, & affligentem ditaveris.

Significat fabula, parvos non cultu, sed vi & animadversione placari.

Canis

Canis & Cocus.

IN domo quadam ingens convivium apparabatur. Invitat igitur canis domesticus externum, secum ut epulentur. Deductus externus in culinam, videt omnium rerum ad victum necessariarum summam adesse copiam, magnasq; ubiq; lautitias animadverterit. Itaq; gaudio plenus Papæ quàm optime, inquit, hic nunc convivabor! tanto scilicet me cibo ingurgitate potero, ut saturitas posthac etiam duratura esse videatur. Hæc ille secum latus murmurans, caudam quasi adulans leniq; quassat, ille ut ab externo metuens, arreptum de fenestra cum projecit in viam. Qui cum clamore maximo aufugiens, habuit obvium sibi notum, alterum canem. Hic igitur, qui fuisse eum invitatum foras sciret, quomodo acceptus esset, interrogat. Cui alter: sic, inquit, multum potavi, ut ebrius, unde exierim, ignorem.

Fabula docet, finem non habendam ijs, qui de aliorum facultatibus beneficos se futuros esse polliceantur.

Rusticus & Filij illius.

RUSTICUS vicinus morti cum relinquere filijs suis divitias non posset, voluit excitare animos illorum ad studium diligentis culturæ & in opere faciundo assiduitatem. Accersit igitur illos ad se, atq; ita loquitur: Mei filij, quo in loco res meæ sint videtis. Vobis autem quicquid potui in mea vita comparsi, idq; totum in vinea nostra quære-

re po-

re poteritis. Hæc cùm dixisset, paulò pòst moritur senex. At filij, quod crederent in vinea illum thesaurum alicubi abscondisse, arreptis ligonibus solum vineæ universum effodiunt, ac thesaurum quidem invenêre nullum, terrâ tamen fodiendo percultâ, vites uberrimum fructum tulere.

Docet fabula, labores & operas summas divitias esse, Et est Epicharmea sententia, Labore à diis hominibus bona venire.

Piscator.

Piscator artis non admodùm peritus, venit cum tibijs ad aquas, & carmen accinere cœpit, sperans futurum, ut ad vocis suavitatem pisces exilirent, Sed falsus spe suâ arripit rete, & proijcit in aquas, magnamq; copiam piscium extrahit. Quibus in ripa expositis, & lascivientibus: Nunc saltatis improbi, inquit, dudum autem me tibiam inflante quiescebatis.

Fabula dicitur de ijs, quæ temerè, vel nõ suloco, atq; tempore fiunt. Eandem iratus Cyrus apud Herodotum κλαυσ narrat Æolensibus, qui pacem à victore peterent, quem societatẽ quondã ipsorũ flagitantẽ, repulissẽt.

Piscatores.

Cum piscatores diu multumq; defatigati, nihil capere potuissent, tædio tandem affecti, perditâ operâ, tristes domum redire parant. Tum de improviso Thunnus à re-

liquis piscibus agitatus, saltu in navigium illorum se dèdit, quo potiti cum præda & latitia abiére.

Indicat fabula sæpenumerò forte fortunâ obvenire ea, quæ nullâ arte ac ratione parari potuerint, secundũ Tragicã cautulam:

πολλὰ γὰ ἀέλπτως κραίνουσι θεοὶ,
κοὐ τὰ δοκηθέντ' ὄντα ἐτελέσθη.
τῶν γὰ ἀδοκήτων πόρον εὗρε θεός.

Præter spem multa Dij efficiunt,
Et spes multos sua frustratur.
Contra explicat insperata Deus.
Votum quod solvi non
possit.

Æ Grotabat pauper, & in morbi gravissimo periculo cũ à medicis desperasset, ad opem deorum confugit, quibus se, si convaluisset, centum tauros immolaturum esse, promisit. Hæc uxor illius ut propè astabat, cum audiisset: Unde, mi vir, tantum, inquit, numerum taurorum parare posses, si voti convictus sis? At ille. Quid, tu censes? inquit, stulta, cœlo descensurum, qui illud sacrificium fieri postulet, si ego sanitatem recuperavero?

Narratur fabula & ad hunc modum:

Cùm multi unà in navi vehérentur, ortâ ingenti tempestate horribili, unus cæteris formidolosior, qui si desperato omni auxilio humano deos invocare, & illis vota pro salute sua nuncupare, interq; alia promittere, se consecraturum deæ cerã lampadem tantam & tam ponderosam, ut malo na-

vis a

vis æquaretur. Eo fortè, qui juxta illum assidebat, audito, cum sciret mediocres esse, vel etiam infra mediocritatem facultates hominis, admonere voti magnitudinis, quod non videretur exolvere ille posse. Cui hic respondit: Si navis modò servata, & in portum delata esset, se facilè dijs satisfacturum, quos consideret, postea uno numulo emto cereo contentos futuros.

Significatur esse multos in pollicendo faciles, qui etiam promittere ea soleant, quæ non velint, neq; cogitent facere.

Piscatores.

Dum extrahunt nassam de aquis piscatores, gravissimũ pondus esse illius sentiunt. Quare lætitiâ exultare, & felici eventu immodicè gaudere, quod opera præclarè posita videretur. Sed nassa subducta in terram, conspicantur ingens saxum, quo illa depressa fuerat. Ergò mutatis animis, contristari atq; mœrere, neq; minùs doloris capere ob falsitatem opinionis & ludibrium fortunæ, quàm incommodum suum. Tum unus inter eos senior objurgare eos & dicere: Non nimis indignè ferendum casum illum, quod consanguineam habere gaudium videretur tristitiam. Itaq; vix aliter potuisse fieri, quàm ut illius tanto complexu etiam hanc assumerent.

Utrumq; fabula monet, nõ priùs lætandũ, quàm exploratâ fortunâ, neq; tamẽ tristiores exitus nõ etiã moderatè ferendos esse.

De Sene & morte.

Cæciderat ligna in silva senex, quorum fasce sublato domum redire cæpit. Progressus autem multum sanè viæ, cum defatigatus esset, & onere & itinere, depositò lignatus, acquiescens considerare ipse secum ætatis, inopiæ solitudinis miserias, & clara voce invocare mortem, cujus auxilio facilè liberari se ab omnibus malis posse diceret. Tum mors exauditis precibus illius, coràm astitens, quid velit percontantur. At senex territus, & quem jam mortis pigeret: Nihil enim, inquit, sed requiro aliquem, qui onus paululùm allevet, dum ego rursus subeo.

Docet fabula, ad præsentiam mortis omnes refugere, neq; quicquam esse tanti doloris aut cruciatꝰ, quod vitæ dulcedinẽ diluere possit, vereq; Creo apud Sephoclem ait;

Fugiunt & audaces retrò, postquã prope
Vitam in suam grassarier morté vident.

De Anu laborante ex oculis.

Laborans anus ex oculis accersit medicum, mercedemque pactam, ut sanitate receptâ demùm persolveret, convenit. Medicus orsus curationem, quotidiè collyrio oculos pelluebat, & supinam in lectulo cum injunxisset, in tenebris jacentem relinquebat, asportans ipse secum quicquid fortè reperisset supellectilis, sive vasculum seu vestimentum mulieris. Quæ cùm animadverteret se spoliari, & jam recuperato visu cerneret vacuam relictam domum

sibi,

sibi, postquam accessit medicus, mercedem postulans promissam, nam & esse illam sanam, & se judicium multorum, quibus notus fuisset moribus ipsius, defugere ajebat. Non est ita, inquit, Medice: Nam priusquam tuæ artis fortunam subirem, conspicabar passim copiosam domi meæ supellectilem: Nunc verò sana, ut ais, nihil prorsus video.

Significatur hâc fabulâ, improbos, & veteratores ipsos nonnunquã suis dolis implicari & lædi.

Inimici.

IN eadem navi vehebantur duo, qui inter se capitalia odia exercebant. Atq; unus quidem in prorâ, alter verò in puppi residebat. Ortâ tempestate ingenti, cum omnes de vita desperassent, interrogat is, qui in puppi sedebat, gubernatorem, quam partem navis primum submersam iri putaret? Cui gubernator, proram inquit. Tum ille: Jam non magis, inquit, mors mihi gravis futura est, siquidem aspecturus sum interitum inimici mei.

Fabula significat, multos non moveri suis malis, si ijsdem inimicos, & eos, quos odere, prius circũveniri videant. Itaq; Achilles Homericus non recusat mori si prius Hectorem interfecerit, cùm sciret, post hujus cædem sibi quoq; instare ac prope esse exitium.

Felis & Mures.

IN domo quadam magna copia murium diversabatur. Hoc felis cùm comperisset, eodem se contulit, & ve-

natione atq; captura musculorum bene aliquantisper victitavit. Cum autem mures animadvertexent, suum numerum quotidiè fieri minorem, & quod à fele consumerentur, statuerunt se intra suas cavernulas, & ijs in locis continere, in quæ pervenire illa non posset. Feles cum mures non magis ut soliti fuerant, procurrere videret, statuit fraude elicere, seq; quasi mortuã esset, de clavo quodam suspendit. Quam conspicatus forte desuper musculus; Heus tu, inquit, si te in sacculum convertisses, esse sciam, nunquã tamen commissurus sim, ut ad te propius accedam.

Docet fabula, prudentes non pari sese iterum improborum dolis falli, ubi illorum fraudes semel fuerint experti.

Mulus.

OPimus pastu hordei factus mulus incitare se ad cursum, & gloriari de materna origine, quam celeritate referret: Matrem, inquit, equam habeo, præstanti celeritate, qua ego non sum inferior. Mox quodam tempore currendi necessitate illi imposita defatigatus, cepit paterni generis, & se esse asino procreatum, recordari.

Fabula monet, non superbiendũ, si quem fortuna extulerit altius, neq; prioris conditionis oblivisc endum: Nam instabilem esse vitam hominum.

Monet & hoc provectos ad honores & dignitatem humilitatis aut dedecoris parentum, conscientia perturbari animis, ut Euripedes Phædram loquentem introducit:

Animos

Animos virorum fortium quoq; dejicit,
Si patris aut matris meminerint dedecus.

Leo, porcus.

LEonem mirifico amore erga virginem fortem conspectam exarsisse ferunt. Venit igitur ad patrem, & nuptias petit filiæ ipsius. Huic ille: Egone tuis, inquit, istis dentibus & unguibus committam teneram virgunculam filiam meam? At absque his foret, equidem felicem me arbitrarer, si talis gener contingere posset. Nunc verò non ausim facere, tibi illam ut tradam. At leo amoris impatiēs postulāte homine, & ungues præcidi, & dētes effringi patitur. Ibi inermē homo facile vincit atq; interimit.

Ostēdit fabula, calliditatē & malitiā fortibus inprimis voluptatibus inescatis, decus atq; robur detrahere, & postea liberè illis insultare. Hâc fabulâ apud exercitum Eumenem usum aliquandò fuisse scripsit Diodorus lib. 19. hoc sensu, quod similiter & Antigonus omnia polliceri non dubitaret, tum verò in duces ipsorum animadversorum hunc esse pro arbitrio.

Galli Gallinacei.

DUO galli acriter inter se pro gallina dimicabant, ita ut ambo sauciarentur, sed finito prælio, qui victus fuerat, is pudore & dolore affectus, latebras quæsivit, victor autem in altum parietem evolavit. & quanta maxima voce potuit, canere & alis strepere cœpit. Hunc de improviso

aquila prætervolans rapit, ita alter, qui se dudum abdiderat, postea sine æmulo gallinarum consuetudine frui potuit.

Docet fabula, Deum ipsum superbis adversari, mites autem apud illum in gratiâ esse.

Hinnulus.

HINNulum cum cervo sic locutum aliquandò ferunt: Mi pater, cum multò sis major canibus, & pedum his celeritate præstes, prætereà cùm tibi sint ardua cornua, quibus à te vim propulsare facilè possis, quî fit, ut canes tantoperè metuas? Ibi cervus ridens: Mi nate, vera, inquit, memoras mihi, tamen vescio, quo pacto semper accidat, ut auditâ canum voce, in fugam statim convertar.

Fabula docet, eos qui naturâ formidolosi sint, nullâ cohortatione confirmari posse.

Apicula & Jupiter.

QUod suos labores ab hominibus compilari apicula ægrè ferret, elegantissimè constructos favos Jovi obtulit, & ab illo perijt, letiferam ut aculeo suo vim adderet. Jupiter immanitate bestiolæ offensus: Imò potiùs vitalem vim tribuam, inquit, ut unà cum illo tibi vita relinquenda sit.

Fabula ad sententiam Herodoti est cõposita: Immodicas pœnas dijs non probari.

Ligna-

Lignator & Mercurius.

CÆdebat quidam ligna juxta fluvium, cui cum inter opus excidisset fortè securis, in flumen delata & demersa fuit. Tum ille inops consilij, in ripa assidens deflere fortunas suas & lamentari miserè. Mercurius verò, qui fortè præteriens, querelas illius cognovisset, misertus hominis aquas subijt, retulit securim, non eam quidem, quæ amissa fuerat, sed auream, &, an hæc esset, quam perdidisset, interrogavit: qui cùm suam illam esse negaret, extulit alteram argenteam: sed ne eam quidem agnoscente lignatore, postremò ferream attulit, quam lætus homo suam esse dixit. Hac probitate delectatus, Deus universas illi securas donat. Ista ut acciderant, cùm postea narraret plurimis, unus in similis eventus spem vocatus, & ipse in præterfluentem securim suam abijcit, & propter eam mox assidens plorare atq; lamentari. Huic, ita ut dudum alteri, Mercurius se obtulit, & causâ lacrimarum auditâ, auream protulit securim interrogans, eane esset, quam delapsam in aquas quæreretur. Qui cum magno gaudio statim agnoscere se, & eam esse dixit. At Mercurius mendacem & impudentem hominem aversatus, & se à conspectu illius, & auream securim unà secum abstulit, neq; projectam in fluvium retulit.

Fabula docet, non minùs malis deos adversari quàm prodesse bonis solere, secundum hoc Sophocleum:

τοῦς δὲ σῶφρονας
θεοὶ φιλοῦσι, ἐστιγοῦσι τοὺς κακοὺς.

Etenim probos
Amare dij solent, odisse improbos.

De Vulpe & Uva.

Vulpes sublimem uvam dependentem de vite conspicata, ad illam subsiliit iterum atq; iterum, omnes vires corporis adhibens, si forte attingere posset. Tandem defatigata inani labore, discedens ipsa sese quasi consolans: At enim acerbæ nunc etiam, inquit, uvæ sunt, & ista imprimis austera, nec si in via reperiatur, videtur tollenda esse.

De ijs fabula dicitur, qui necessitati obsequuntur, & libenter abstinent ab ijs, quæ obtinere non possunt.

De puero & Scorpio.

Locustas puer captans, in scorpium incidit. Huic ille: ne, inquit, attigeris me. Nam nisi à me abstinueris manum, locustas etiam, quas venatus es, cum dolore & gemitu projicies.

Fabula monet, vitandos esse congressus improborum.

Malus & Pirus.

Certamine de formæ præstantia inter pirum & malum orto, cùm illæ multis inter se verbis disceptarent, Rubus de propinqua sepe: Finem tandem, exclamat, obsecro rixarum faciamus.

Fabula ostendit, in dissensionibus potentum etiam infimos principatum quærere.

Talpa-

Talpa.

TAlpa animal est oculis captum. Hoc ad matrem aliquando suam, morum videò, dixit. Atq; iterum, Thuris odor complevit nares meas. Tertiò, somnus æris attigit aures, inquit, meas. Cui mater respondit, se intelligere dictis, non modò ipsum lumine, sed odoratu etiam atq; auditu privatum esse.

Notat fabula glorioſos & Thraſones iſtos, qui dum ſe mirificè oſtendunt & jactitant, in minimis ſæpè deprehenſi redarguntur.

Veſpæ & perdices.

LAborantes siti veſpæ & perdices accedunt ad agricolam, & ab illo potum petunt. Neq; se gratas solummodò futuras ob beneficium acceptum, sed promeritaras esse etiam ajunt: Opera quidem sua perdices collocata in vinea fodienda, at veſpas aculeis suis circum hanc volitantes abingendo fures. His respondisse agricolam ferunt: Habere se boves duos, qui nihil promittentes faciunt omnia, atq; illis aquam potius se præbiturum esse.

Narratur fabula in homines nocentes, qui ſermone adjumenta & utilitatē oſtendunt, re autem tantummodò obeſſe conſuevere.

Pulex captus.

QUid tu, inquit, es animantis? qui pulicem noctu cepe-rat. Qui se respondit cum esse, qui ut à natura ad ex-

ſugen-

fugendum de humano corpore sanguinem procreatus sit, ita noceat nemini, præterquam quod cutem leviter pungat. Quare non debere illum insontis cæde polluere manus. Interrogatus autem, boninc aliquid facere posset? Neq; boni neq; mali ferè quicquam, respondit. Morere igitur, inquit ille, quippe qui molestus mihi fueris, cum nec lædere magnoperè, nec prodesse omninò possis.

Fabula docet, parvi quãquã nõ magna damna possint dare, tamẽ melius esse, ut removeantur.

Pulex.

Cum insilüisset pulex in pedem cujusdam, ille ad opprimendum hunc, Herculem invocavit. Sed cùm pulex se illinc mox saltu subduxisset, cum gemitu ille Hercule inquit, quid ego abs te opis in magnis periculis expectem, qui contra pulicem adesse mihi noluisti?

Monet fabula, non esse in rebus parvis & futilibus potentũ auxilia implorãda, sed illud perfugium singularibus casibus reservandũ.

De Leone picto & Adolescente. Fatalia vitari non posse.

Fuerat prædictum cuidam amissurum ipsum à Leone læsum unicum filium suum, hoc in metu patet non urbe modò, sed ne ædibus quidem temerè egredi filium patiebatur. Quod autem juvenis esset alacri animo & cupidus ve-

dus venationum, in ædibus passim ad oblectandum eum omnis generis ferarum imagines pictas exprimi pater curaverat. Quodam die conspecta imagine leonis, indignabundus juvenis, verbis maledicis adoritur bestiam, cujus metu sibi tanquam virgunculæ inclusæ intra parietes domesticos tabescendum esset, atq; irâ provectus longiùs, magno impetu alapam illi impingit. Fortè fuerat ea parte ferreus claviculus fixus in pariete, cui illisa manus ita fuit sauciata, ut ex illo vulnere juvenis paulò pòst moreretur.

Fabula sic etiam refertur:

Vidisse quendam per quietem mordicùs sese arripi à leone & perire. Ac quodam tempore conspecta effigie lapidea leonis cum diducto rictu oris, per jocum immisisse manum, & dixisse comitibus, quod somniasset, id sibi jam accidisse. Sed intra illud cavum anguis incubans venenato ictu manum ipsius ita infecit, ut homo paulò pòst interiret, & fidem somnij confirmaret.

Narratur similis historia de Cræsi somnio ab Herodoto, libro primo, & copiosè & elegantiâ admirabili.

Subijciunt autè hujusmodi narrationes non hoc modò, quod dicitur ab Hectore ιλιάδ. ξ.

Μοῖραν δὲ ὄνλινα πεφυγμένον ἔμμεναι ἀνδρῶν,
Οὐ κακῶν ὀνδὲ μάλ' ἐσθλῶν, ἐπὴν τε πρῶτα γένηται.

Sed hoc etiam, non nimium talibus prædictionibus terreri quidem nos oportere, non tamen audacia quos & contemtu incautiores committere, ut nostra culpa casus fatales cumulati esse videantur.

De Aqui-

De Aquilâ & Homine.

Comprehense quidam aquilæ grandiores pennas omnes evulsit, & ita domi suæ aliquantisper obversantem habuit. Hanc mercatus quidam pennis denuò aquilinis ipsam instruxit, perfecitq; ut evolaret quà vellet. Quæ statim correptum leporem huic attulit, quasi memor beneficij in se collati. Sed paulò pòst ne à domesticis quidem illa animalibus vim suam abstinuit, & jam hominibus quoq; formidanda erat: iterum igitur pennas, quas dudùm his eam instruxerat, abstulit.

Monet fabula, potentum improbitatem adjuvandam non esse, & ut illa simulet bonitatem, mox tamen sese proferre, neque mutare in malefaciendo naturam suam.

De Puero & fortunâ.

Prope fauces puteo profundi dormiebat puer. Accedit fortuna & excitat, atq; domum ire jubet. Nam tu, inquit, si incautius in somno te vertens, in puteum fortè labereris, nemo stulticiam tuam accusaret, sed omnes te indignâ sorte peremtum esse quererentur.

Docemur, plærunque homines suâ stulticiâ, id est, σφῶν ἀπαθαλίῃσι, secundum Homerum, mala incurrere, & postea asscribere eventum fato aut fortunæ.

Simius Rex.

Ferunt quodam in conventu bestiarum, ita saltavisse bellè simium, ut omnium prope unanimi sententiâ rex cre-

rex crearetur. Hunc vulpes elatum animo ob prosperitatem videns, & simùl etiam bestiarum stulticiæ succensens: Dicit simio, postquam regnum ipsi obtigerit, non debere se cælare, quæ magnoperè ut resciscerent, ipsius interesse arbitraretur. Quod id esset simio interroganti, Thesaurum, respondit, sibi à patre suo indicatum esse defossum in solitudine, qui jure regni ad ipsum jam pertinere videatur. Eamus igitur, inquit simius, ut tollamus. Cave tu, inquit vulpes, nam ego sæpè audivi periculo effossionem thesauri non carere. Nihil, inquit simius, periculi est, an tu obsecro times? Eamus igitur, inquit vulpes, si videtur. Cumq; per silvas diu circumdixisset simium, tandem inducit in laqueos sub fruticibus absconditos ad capturam bestiarum, atq; illi dicit thesaurum defossum, & illinc eruendum esse. Simius festinans neq; providens, statim capitur, ac implicitus orat vulpem, sibi ut succurrat: Ea verò se regem attingere non debere ait: Et discedens, Non, inquit, saltationis eventus regnum merebatur.

Fabula indicat, honores indignos magis lædere ac deprimere, quàm augere & ornare. Et stultarum inceptionum exitium esse infelicem docet.

Faber & Canis.

Quidam faber domi suæ canem habebat. Hic donec opere faciundo exercebatur herus, accubans ipse dormiebat. Postquam assederat ut cibum caperet, surgens & extendens artus, ita ad mensam accedebat. Quæ cum

ad hunc

ad hunc modum sæpè fierent, tandem faber: Ego, inquit hæc vix potero ferre diutiùs, ut dum ego defatigor, tu quiescas, & unà mecum pascaris.

Fabula monet, non durare conjunctionem laboriosorum & desidum: Et esse ocium cum negocio exæquandum.

De Leone & Tauris.

LEo invitaturus ad cœnã, in quam ovem paraſſet, tauros validos duos, in ſpecum ſuum blanda oratione perduxit, ubi incantos adoriri, & de illis epulari opipare poſſet. Quæ ſpe & grandia vaſa, & ollas ingentes & prolixa vetula præparaverat. Quibus conſpectis tauri, referre pedem, & circumſpectantes in omnes partes diſcedere cœperunt. At Leo quin accedant & aſſideant quærit, & jam dapes affuturas ait. Tum illos dixiſſe ferunt, non apparere de vaſis, ovium carnibus inſtructum iri convivium, ſed niſi caveant, bubulis. & falſum ſpe ſua leonem reliquiſſe impaſtum.

Fabula docet, fallacias prudẽtibus minùs nocere.

De Leænâ & Vulpe.

INter alia maledicta, quibus leænam quodam tempore à vulpe appetitam, accepimus, ferunt, hanc illi exprobraſſe hoc etiam, quod ſingulos tantum fœtus pareret. Huic dicitur reſpondiſſe, ſe quidem unum tantum quoquo partu catulum edere, ſed leonem illum.

De partu leænæ Gellij caput eſt 7. lib. 13.

Fabula

Fabula autem, Præclara rata: Et, non copiâ, sed bonitate res æstimandas esse, docet.

De Muscæ suffocatione.

DELAPSA musca in ollam cum carnibus ad ignem appositam, cum in jure fervente suffocaretur: Moriar sanè, inquit, cum cibo potuq; satiata, bene etiam lauta sim.

Fabula ostendit, voluptates multas esse exitiales. Sed & hoc monet, æquo esse animo ferendam amissionem commodorum vitæ, compensandâq; hanc cũ fructu perceptorum, secundum Horatianos versus:

Lusisti, satis edisti, satis atq; bibisti.
Tempus abire tibi est.

De Luxurioso & Hirundine.

ADOLEscens quidam diffluens luxuriâ, omni patrimonio perdito: cum nihil reliquum ibi esset exceptâ unâ veste, visâ hirundine etiam illam vendidit, & precium in vino & lustris prodegit. Sed quod fuisset adventus hirundinis, ut interdùm sit, præmaturus, rursum hiemante anno, hirundo quidem frigore periit, prodigus autem vehementissimè algens, visâ hirundine gelu exanimatâ, O te scelestam, inquit, avem, quæ & me & te pariter perdidisti.

Fabula docet, quicquid alieno tẽpore fit, id ferè detrimenta & malum complecti.

De Gallinâ & Vulpe.

AD cohortem avium cū vulpecula accessisset, vidisset q; in nido sedentem gallinam debilem & gravedinosam: Ecquid valeret? illam interrogavit. Huic respondit gallina, sic satis se valere, sed si ipsa discessisset, multo se habituram melius.

Fabula admonet, inimicorum officia, neq; grata & suspecta solere esse.

Perdix & Auceps.

CAPTA perdix dicitur orasse aucupem, ut se dimitteret, & promisisse paulo pòst alias multas sui generis avicu las sese illi adducturam esse. Sed aucupem ferum intorto collo statim perdicem necasse, quòd proditricem generis sui indignam vitâ esse perhiberet.

Fabula indicat, apud bonos fraudes & scelera improbotum nocere usurpantibus.

De Semicano & Uxoribus illius.

HAbuisse quendam duas uxores narrant in ætate virili tendente ad senectatem, quâ canis conspergi caput incipit: idq; hominum genus nomen habet μιξοπόλιον apud Græcos. Mulierem autem fuisse natu grandiusculam unam, alteram juvenculam. Hunc autem illam nigellos, hanc albicantes crines evellere consuevisse ferunt, donec relinqueretur calvaria nudata capillis.

Fabula detrimenta inæqualium conjunctionum demonstrat. Notus autem est jocus Augusti, qui cùm deprehendisset, curare sibi filiam ab oruatricibus evelli canos, i

hos, interrogasse illum dicitur, post aliquot annos, canané an calva esse mallet? Cum autem respondisset illa, se malle canam esse quàm calvam: Quare ergo, inquit, istæ te calvam fieri student?

De Arbore & Cuneis.

Quidam cum arborem in silva quadam cæcidisset, ut findere meliùs posset, de ipsa arbore cuneos parabat, Tum ingemiscentem arborem dixisse accepimus, se non de securis vi tantoperè conqueri, quantoperè de injuria earũ partium, quæ de corpore suo demtæ essent.

Fabula ostendit, quod nostri nobis sæpè sint infestiores, quàm alieni.

Jupiter & Vipera.

AB omnibus animalibus quodam tempore dona Jovi oblata fuerunt. Interq; illa arrepsit & vipera rosam ore afferens: Cui Jupiter, A vipera, inquit, non constitui me donum hodiè accepturum esse.

Maliciosorum dona specta nobis esse debere significatur.

Ranæ & Lupi pisces.

EGressæ in ripam fluminis cujusdam ranæ, ibi in gramine pascebantur, eam prætereunt nescio qui homines, at illæ territæ desiliunt in flumen, ubi à lupis correptæ devorantur. Tum una, Ostultas nos, inquit, quæ fugientes eos quibus cibus panis est, incidimus in eos, qui nos avidissimè expetunt.

Fabula docet, multos temerè fugiendo mala, in majora mala incidere.

Piscator stolidus.

Quidam hamo & arundine demissâ in fluvium, cùm totus diei labore non plures tribus piscibus cepisset, rediens domum, apud obviam sibi factos gloriatur, se quãtum piscium in fluvio fuisset, extraxisse hamo suo. Cui unus, Heus tu, inquit, quid si non universi ad hamum adhæserunt? At ille, imò, inquit, totum diem ego ibi ad flumen astiti, quod si plures in eo pisces essent, non vitassent profectò hamum meum.

Notatur stulticia quorundam, qui effectiones artium de viribus ingenij sui æstimãt.

Asinus communis.

Decessit quidam relicto filiis tribus asino uno. Placuit ut communiter illo singuli diebus singulis ad onera portanda uterentur, & præberent cibum. Vnoquoq; autem cibum ad usum fratris sui differente & operas exigentes, asinum fame laborecq; moritur.

Fabula narratur avaris & rapacibus, subjicitq; sententiam Salomonis: Qui nimis vehementer nares emungit, is sanguinem elicit.

De Fele & muribus.

Consilio habito decreverunt mures tintinnabulum feli esse annectendum, ita enim posse admonitos soni-

so nitu effugere vim illius. Hoc quamvis magnoperè placuisset universis, irritum tamen consilium fuit, quoniam qui annectere auderet, non reperiebatur.

Fabula docet, in suadendo audaces esse plerosque, sed suo qui periculo rem exæquantur, non multos reperi, sed tum inprimis cavere unũquemq; sibi. Deq; his dicitur Teutonicum proverbium, de timidis & cautis non solere aut non velle aliquem annectere tintinnabulum feli.

De cornice educante Accipitrem.

Cornix cùm animadverteret nidum accipitris semper esse refertum bonis cibis, qui parerentur rapacitate illius, hoc consilium inijt, furatur ova accipitris, & illa clam forẽdo educit sobolẽ, quæ confirmata matrẽ postea devorat.

Fabula ostẽdit, multos perniciẽ & pestẽ suã ipsos alere. Unde est illud Theocriteũ factũ:

θρέψαι καὶ λυκιδεῖς δρέψαι κύνας ὥστυ φάγοντι.

De Simiâ & Nucibus.

Simia cum audisset suavitatem nucum magnoperè laudari à sciuro, non pepercit ulli labori aut studio, ut posset potiri nucibus, Repertâ autem juglande, avidè dentes illi impegit. Ibi primum amaro putamine, deindè duro cortice offensa, illam abjecit, rata sese esse à laudatore nucum sciuro delusam, & ita nucleorum jucundo cibo caruit.

Fabula monet, non esse offensione laborũ spẽ evẽtus abjiciendã. Nã gaudiũ antecedit tristicia.

APOLOGI EX CHILIADIBUS ADAGIORUM ERASMI desumti, ad communem puerorum fructum.

De Vulpeculâ & Pardale.

CUm aliquandò Pardalis vulpem præ se contemneret, quod ipsa pellem haberet omnigenis colorum maculis variegatum, respondit vulpes, sibi id decoris in animo esse, quod illi esset in cute.

Neq; verò paulò satiùs est, ingenio præditum esse vafro, quàm cute versicolore.

De Vulpe & Fele.

CUm aliquandò vulpes in colloquio, quod illi erat cum fele, jactaret sibi varias esse technas, adeò ut vel peram haberet doli refertam: Felis autem responderes, sibi unicam duntaxat artem esse, cui fideret, si quid esset discriminis. Inter confabulandum repentè canum accurrentium tumultus auditur, ibi felis in arborem altissimam subsiliit, cum vulpes interim à canum agmine cincta capiatur.

Innuit fabula præstabilius esse nonnunquã unicum consilium, modò id sit verum & efficax, quam plures doli consiliaq; frivola.

De Rege & Simijs.

REX quidam Ægyptius aliquot simias instituit, ut saltan-

saltãdi rationem perdiscerent. Vt enim nullum animal ad figuram hominis propius accedit: ita nec aliud actus humanos, aut melius, aut lubentius imitatur. Artem itaq; saltandi protinus edoctæ, saltare cæperunt, insignibus indutæ purpureis, ac personatæ. Multo, iam tempore majorem in modum placebat spectaculum, donec è spectatoribus facetus quispiam, nuces suas clamosum in sinu gestabat, in medium objecit. Ibi simiæ simul atq; nuces vidissent, oblitæ coreæ, id esse cæperunt, quod ante fuerant, ac repente è saltatricibus in simias redierunt: Contritisq; personis, dilaceratis vestibus, pro nucibus inter se depugnabant, non sine maximo spectatorum risu.

Admonet hæc fabulæ, fortunæ ornamenta non mutare hominis ingenium.

De Asino & Viatoribus.

DVO quidam cum in desertis asinum quempiam forte fortuna nacti essent, contendere inter se cæperunt: uter eorum, uti suum domum abduceret. Nam utriq; pariter a fortuna videbatur objectus. Hac interim de re illis invicem altercantibus, asinus sese subduxit, ac neuter eo potitus est.

Quidam à præsentibus cõmodis, quibus ob insciciam uti nesciunt, excidunt.

De Piscatoribus.

PISCATORES aliquot jacto reti, testudines eduxe-

eduxerunt, eas cum essent inter sese partiti, neq; sufficerent omnibus comedendis, Mercurium fortè accedentem invitarunt ad convivium. At is intelligens se non ita humanitatis gratiâ vocari, sed ut eos fastidito cibo sublevaret, recusavit, jussitque, ut ipsi suas testudines ederent quas capissent.

Nonnulli posteaquam inconsultè quippiam adorti sunt aliorum implorare auxilium, quos suo negotio admiscerent.

De Asino.

APud Cumanos asinus quispiam pertæsus servitutem, abrupto loro in silvam aufugerat. Illic fortè repertum leonis exuvium, corpori applicabat suo, atq; ita pro leone sese gerebat, homines pariter ac feras voce caudaq; territans. Nam Cumani leonem ignorant. Ad hunc igitur modum regnabat aliquandiù personatus hic asinus, pro leone immani habitus ac formidatus, ac donec hospes quispiam Cumas profectus, qui sæpenumerò viderat & leonem & asinum, atque ob id non erant difficile dignoscere aurium prominentium indicio, neque non alijs quibusdam conjecturis asinum esse deprehendit, ac probè fustigatum reduxit, dominoq; agnoscenti reddidit. Interim autem risum non mediocrem concitabat omnibus Cumanis asinus jam agnitus, quos dudum creditus leo, metu propemodum exanimaverat.

Haud facilè tegimus vitia, quæ à puero nobiscum adoleverunt.

De Sac-

De Scarabeo & Aquilâ.

SCarabeus aliquandò spretus ab aquila, cœpit devincta quoque pacto iumentâ cogitare. Pervestigavit ubinam aquila nidum collocasset, arrepsit scarabeus, & ova simili dolo dejecit. Aquila cum sæpiùs domicilium commutasset, neq; quicquam proficeret, Jovem patronum adijt, exponit calamitatem suam. is jubet, ut suo in gremio ponat ova vel istic in tuta futura. Et hæc per vestis lacinias, sinusq; prorepsit pertinax scarabeus, haudquaquam sentiente Jove. Deinde ubi vidit ova commoveri Jupiter, neq; satis animadvertit unde, territus rei novitate, excusso gremio, in terram dejecit.

Monet hæc fabula, neminem quantumvis pusillum contemnendum esse.

De Simijs & Pardale.

IN Mauritania simiarum ingens copia: Pardalis autem animal est naturâ simijs infestissimum, quas tamen viribus assequi non potest, nimirum illis in summas arbores subvolantibus. His itaque dolo in eas utitur: Sternit se supinam sub ramis, ac porrectis cruribus emori fingit se. Gaudent eo spectaculo simiæ considentes in arbore, deindè ubi jam mortuam arbitrantur, unam aliquam emittunt exploraturam, num verè mortuus sit hostis. Illa cautim ac pedetentim accedens, ubi nullum vitæ videt argumentum, Pardale nimirùm modis omnibus cadaver imitante, demùm audet etiam conscendere. Quod simul ac reliquæ Simiæ con-

spexerint, jam depositio omni metu descendunt, & pardalem omnia ferentem, circumsultant. Postremò conculcant insultantes, ludibrij causa, donec pardalis sentiens illas jam saltando defatigatas, de repente reviviscens, aliam dentibus, aliam unguibus corripit, dilaniat ac devorat.

Hostem simulantem vires deficere, summoperè fugiendum esse.

De Satyro & Rustico, Aniani fabula, Erasmo quoq; interprete.

SAtyrus quidam cum vehementer algeret, hyberno gelu supra modum seviente, à rustico quodam inductus est in hospitium. Admirans autem cur homo insisteret in manus ore admotas, rogavit cur id faceret? Is respondet: Ut frigidas manus halitus tepore calefaceret. Deinde ubi extructo foco, appositâ mensâ in pultem fervidâ ru sum inflaret magis etiam miratus sciscitatus est, quid hoc sibi vellet? Ut pultem, inquit ille, nimium ferventem halitu refrigerem. Tum Satyrus surgens à mensa, Quid ego audio? inquit: Tun' eodem in ore pariter & calidum & frigidum efflas? Valebis, nec enim mihi ratio est, cum ejusmodi homine commune habere hospitium.

Notantur bilingues, qui eundem modò laudant, modò vituperant.

EX LIVIO.

Dissi-

Dissidium Ventris & membrorum corporis humani, ex lib. 2.

AGrippa intromissus in castra, prisco illo dicendi & horrido modo, nihil aliud quàm hoc narrasse fertur, Tempore, quo in homine non ut nunc omnia in unum consentiebant, sed singulis membris suum cuiq; consilium, suus sermo fuerat, indignatas reliquas partes sua cura, suo labore ac ministerio venire omnia quæri, ventrem in medio quietum nihil aliud quam datis voluptatibus frui: Conspirasse inde, ne manus ad os cibum ferrent, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent. Hac ira dum ventrem fame domare vellent, ipsa una membra totumq; corpus ad extremam tabem venisse. Inde apparuisse, ventris quoq; haud segne ministerium esse, nec magis aliquâ alere eum, reddentem in omnes corporis partes, hunc quo vivimus vigemusq; divisum pariter in venas, maturum confecto cibi sanguinem. Comparando hinc, quàm immane corporis seditio simile esset iræ plebis in patres, fluxisse mentes hominum.

Carnes Suillæ.

NArrat apud eundem autorem libro 25. bellam fabulam Quintius. Est, inquit, res similima cœnæ Chalcidensis hospitis mei, hominis & boni & sciti convivatoris: apud quem solsticiali tempore comiter accepti, cum miraremur, undè illi eo tempore anni tam varia & tam multa venatio? homo, non (quàm isti sunt) glorios⁹, renidens, condi-

condimentis, ait varietatem illam & speciem ferinæ carnis ex mansueto suefactum. Hos dici apte in copias regis, quæ paulò antè jactatæ sunt, posse, & in varia genera armorum & multo nomina gentium inauditarum. Daos enim, & Medos, & Caduſios, & Elimæos viros omnes esse haud paulò mancipiorum melius propter servilia ingenia, quàm militum genus.

Hoc in copias regis Antiochi aptè cum Quintius intorsit: sed dici in omnem vanam gloriationem & jactantiam potest, ita, ut Teutones simili fermè intellectu ajunt: Nõ esse corium seu cutem diversam.

EX GELLIO.

De Cassita, ex libro iliius 2. cap. 29.

Æsopus ille è Phrygia fabulator, haud immeritò sapiens existimatus est, cum quæ utilia monitu suasuq; erant, non severè, non imperiosè præcepit, & censuit, ut Philosophis mos est, sed festivos delectabiles q; apologos commentus, res salubriter ac prosicienter animadversas, in mentes animosq; hominum cum audiendi quadam illecebrâ indidit, velut hæc ejus fabula de avicula nidulo lepidè atq; jucundè præmonet, spem fiduciamq; rerum quas efficere quis possit, haud unquam in alio, sed in semetipso habendam. Avicula, inquit, est parva, nomen est Cassita, habitat nidulaturq; in segetibus, id fermè temporis, ut appetit messis, pullis jam jam plumantibus. Et Cassita in sementes fortè conteſſerat tempestiviores, propterea frumentis flavescenti-

scentibus, pulli etiam tunc involucres erant. Cum igitur ipsa iret cibum pullis quæsitum, monet eos, ut si quid ibi rei novæ foret diceretur ve, animadverterent, idque uti sibi, ubi rediisset, nunciarent: Dominus postea segetum illarum filium adolescentem vocat, & videsne, inquit, hæc ematuruisse, & manus jam postulare: idcirco die crastino, ubi primùm diluculabit, fac amicos adeas, & roges, veniant, operam mutuam dent, & messem hanc nobis adjuvent. Hæc ubi ille dixit, discessit; atq; ubi rediit cassita, pulli trepiduli circumstrepere orare q; matrem, ut statim jam properet, atq; alium in locum se asportet. Nam dominus, inquiunt, misit, qui amicos rogaret, uti luce oriente veniant & metant. Mater jubet eos à metu ociosos esse: Si enim dominus, inquit, nostram ad amicos reijcit, crastino seges non metetur, neq; necesse est hodiè uti vos auferam. Die igitur postero mater in pabulum volat, dominus quos rogaverat operitur: Sol feruit, & fit nihil, & amici nulli erant. Tum ille rursum ad filium: Amici isti, inquit, magnam in partem cessatores sunt, quin potiùs omnes, & cognatos, affines, vicinos q; nostros oramus, ut adsint cras tempore ad metendum. Itidem hoc pulli pavefacti matri nunciant. Mater hortatur, ut tum quoque sine metu ac sine cura sint: cognatos affines q; nullos fermè tam esse obsequibiles, ait, ut ad laborem capessendum nihil cunctentur, & statim dicto obœdiant: Vos modò, inquit, advertite, si modò quid denuò dicetur. Aliâ luce ortâ, avus in pastum profecta est: cognati & affines operam, quam dare rogati sunt, supersedent. Ad postremum igitur dominus filio

lio, Valeant, inquit, amici cum propinquis: Asseres primâ luce falces duas, unam egomet mihi, & tu tibi capies alteram, & frumentum nosmetipsi manibus nostris cras metemus. Id ubi ex pullis dixisse dominum mater audivit, Tempus, inquit, est cedendi aut abeunda, fiet nunc dubio procul quod futurum dixit: In ipso enim vertitur, qui est res, non alio, unde petitur. Atq; ita captâ nidum mutavit, & seges à domino demessa est.

Hæc quidem est Æsopi fabulâ, de amicorũ & propinquorum levi & inani fiduciâ. Sed quid aliud sanctiores libri Philosophorum monent, quã ut in nobis tantum ipsis nitamur, alia autem omnia, quæ extra nos, extraq; nostrum animum sunt, neq; pro nostris, neq; pro nobis ducamus. Hunc Æsopi apologum Q. Ennius in satyris scitè admodùm & venustè versibus composuit: quorũ duo postremi isti sunt, quos haberi cordi & memoriæ, operæ preciũ esse hercle puto: Hoc erit tibi argumẽtũ, semper in prõptu situm, Ne quid exspectes amicos, quod tutè agere possis.

Leo hospes hominis, & Homo medicus Leonis, ex libro 5. cap. 14.

Apion, qui Polyhistor appellatus est, literis homo multo præditus, verùm Græcarum, quæ plurimæ atq; variæ scientiæ sunt. Ejus libri non incelebres fuerunt, quibus e-

mnibus fermè, quæ mirifica in Ægypto visuntur audiũturq; historia comprehendit. Sed in ijs, quæ audisse, vel legisse sese dicit, fortasse à vicio studioq; ostẽtationis sit loquacior: est enim sane quàm in prædicandis doctrinis suis verdicator. Hoc autem quod in libro Ægyptiacorum quinto scripsit, neq; audisse neq; legisse, sed ipsum sese in urbe Roma vidisse oculis suis confirmat. In circo maximo, inquit, venationis amplissimæ pugnæ populo dabatur, ejus rei, Romæ cum fortè essem, spectator, inquit fuit. Multæ ibi sævientes feræ magnitudine bestiarum excellentes, omniumque insinuata aut forma erat, aut ferocia. Sed præter alia omnia, leonum, inquit, immanitas admirationi fuit, præterquam omnes cæteros, unius. Is unus leo corporis impetu vastitudine, terrificoque fremitu & sonoro, toris comisque cervicum fluctantibus, animos oculosque omnium in sese converterat. Introductus erat inter complures cæteros ad pugnam bestiarum Dacus servus viri consularis: ei servo Androdus nomen fuit. Hunc ille leo ubi videt procul, repentè, inquit, quasi admirans stetit, ac deinde sensim ac placidè; tanquam nascitabundus ad hominem accedit: Tum caudam more atq; ritu adulantium canum clementer & blande movet, hominisque sese corpori adjungit, cruraque ejus & manus prope jam exanimati metu, lingua leniter demulcet. Homo Androdus inter illa tam atrocis feræ blandimenta amissum animum recuperat, paulatimq; oculos ad contuendum leonem refert. Tum quasi mutua recognitione facta lætos, inquit, & gratulabundos videres hominem & leonem. Ea re prorsus tam admirabili, maximos populi clamores excitatos dicit,

accersitumq; à Cæsare Androdum, quæsitamq; causam, cui ille atrocissimus leonum uni parsisset: Androdus rem mirificam narrat, atq; admirandam. Cum provinciam, inquit, Africam proconsulari imperio meus dominus obtineret, ego ibi iniquis ejus & quotidianis verberibus ad fugam sum coactus; & ut mihi à domino terræ illius præside tutiores latebræ forent, in camporum & aranearum solitudines concessi: ac si defuisset cibus, consilium fuit mortem aliquo pacto quærere. Tum sole, inquit, medio, rapido, & flagranti specum quandam nactus remotam latebrosamq; in eam me penetro & recondo, neque multò post ad eandem specum venit hic leo debili ano & cruento pede gemitus edens & murmura, dolorem cruciatumq; vulneris commiserantia. Atque illic primo quidem conspectu adventantis leonis, territum sibi & pavefactum animum, dixit: Sed postquam introgressus, inquit, leo, uti re ipsâ apparuit, in habitaculum illud suum, videt me procul delitescentem, mitis & mansuetus accessit, & sublatum pedem ostendere mihi, & porrigere, quasi opis petendæ gratiâ, visus est. Ibi inquit, ego stirpem ingentem vestigio pedis ejus hærentem revulsi, conceptamque saniem vulnere intimo expressi, accuratiusque sine magna jam formidine siccavi penitus, atque detersi cruorem. Ille tunc meâ operâ & medelâ levatus, pede in manibus meis posito recubuit, & requievit. Atque ex ea die triennium totum ego & leo in eadem specu, eodemque victu viximus. Nam quas venabatur feras, membra opimiora ad specum mihi suggerebat, quæ ego ignis copiam non habens, sole meri-

meridiano torrens edebam. Sed ubi me, inquit, vitæ illius ferinæ jam pertæsum est, leone in venatum profecto reliqui specum, & viam fermè tridui permensus à militibus visus apprehensusq; sum, & ad dominum ex Africâ Romam deductus. Is me statim rei capitalis damnandum, dandumq; ad bestias curavit. Intelligo autem, inquit, hunc quoq; leonem, me tunc separato, captum, gratiam nunc mihi beneficij & medicinæ referre. Hæc Appion dixisse Androdum tradit, eáq; omnia scripta, circumlataq; tabella populo declarat. Atq; ideò cunctis petentibus dimissum Androdum & pœnâ solutum, leonemq; ei suffragijs populi donatum Postea, inquit, videbamus Androdam & leonem loro tenui revinctum, urbe totâ circum tabernas ire, donari ære Androdum, floribus spargi leonem. omnesq; ferè ubiq; obvios dicere: Hic est leo hospes hominis, hic est homo medicus leonis.

De Arione & Delphino historia, translata ex primo libro Herodoti, exposita ab eodem autem libro 16. cap. 19.

CElebri admodum & cohibili oratione, vocumq; filo tereti & candido fabulam scripsit Herodotus, super fidicine illo Arione. Vetus, inquit, & nobilis Arion, cantator fidibus fuit: Is loco & oppido Methymneus, terrâ atq; insulâ omni Lesbius fuit. Eum Arionem rex Corinthi Periander amicum amatumq; habuit artis gratiâ.

Is inde à rege proficiscitur, terras inclytas Siciliam atq; Italiam visere. Vbi eò venit, auresq; omnium mentesq; in utriusq; terræ partibus demulcit, in quæstibus istic, & voluptatibus amoribusq; hominum fuit. Is tum posteà grandi pecunia & re bona multa copiosus Corinthum instituit redire. Navem igitur & nautas & notiores amicioresq; sibi Corinthios delegit. Sed eo Corinthios homine accepto, navique in altum provectâ, prædæ pecuniæq; cupidos, cepisse consilium de necando Arione. Tum illum ibi pernicie intollectâ pecuniam, cæteraq; sua ut haberent, dedisse, vitam modò sibi ut parcerent, oravisse. Nautas precum ejus harum commisertum esse illatenus, ut ei necem afferre per vim suis manibus temperarent, sed imperavisse, ut jam statim coram desiliret præceps in mare. Homo, inquit, ibi territus, spe omni vitæ perditâ: Id unum posteà oravit, ut prius, quàm mortem oppeteret, induere permitterent sua sibi indumenta, & fides capere, & canere carmen casus illius sui consolabile. Feros & immanes nautas proludium tamen audiendi subit. Quod oraverant impetrat, atq; ibi mox de more cinctus, amictus, ornatus, stansq; in summa puppis fovo, carmen, quod Orthium dicitur, voce sublatissima contavit: ad postrema cantus cum fidibus, ornatuq; omni sicut stabat canebatq; ejecit sese procul in profundum. Nautæ haud quaquam dubitantes, quin perisset, cursum, quem capere cœperant, tenuerunt. Sed novum & mirum, & pium facinus contigit. Delphinum repente inter undas adnavisse, & dorso super fluctus edito vectavisse, incolumiq; eum corpore & ornatu Tænarum in terram Laconi-

eam devexisse. Tum Arionem prorsus ex eo loco Corinthum petivisse, talemq; Periandro regi, qualis Delphino vectus fuerat, sese obtulisse. eiq; rem sicut acciderat, narravisse. Regem isthæc parùm credidisse, Arionem quasi falleret, custodiri jussisse, Nautas requisitos, ablegato Arione, dissimulater interrogasse, ecquid audissent in ijs locis, undè venissent, super Arione? Eos dixisse, hominem, cum indè irent, in terra Italia fuisse, eumq; illic bene agitare & studiis delectationibusq; urbium florere, atq; in gratia, pecuniaq; magna fortunatum esse. Tum inter hæc eorum verba Arionem cum fidibus & indumentis, cum quibus se in salum ejaculaverat, extitisse. Nautas stupefactos, convictosq; ire insicias non quisse.

Eam fabulam dicere Lesbios & Corinthios, atq; esse fabulæ argumentũ, quod simulacra duo ahenea ad Tænarum viscerentur, Delphinus vehens, & homo insidens.

FABULA EX LAMIA POLITIANI DESUMPTA.

De Avibus & Noctuâ.

Aves olim propè universæ noctuam adierunt, rogaruntque eam, ne posthac in ædium cavis nidificaret, sed in arborum potius ramis, atq; inter frondes ibi enim vernari suavius. Quin eidem quercum modò enatam pusillam, tenellamq; adhuc ostendebant, in qua scilicet molliter (ut ajebant) & sidere ipsa aliquando noctua, & suum sibi construere nidum posset. At illa facturam se negavit, Quia

vicissim consilium dedit ijs, ne arbusculæ illi se crederent. Laturam enim quandoq; esse viscum, pestem videlicet avium. Contempsere illæ (ut sunt leve genus & volaticum) sapientis unius noctuæ consilium. Jam quercus adoleverat, jam patulæ, jam frondosa erat. Ecce ibi aves illæ omnes gregatim ramis involitant, lasciviunt, subsaltant, colludunt, cantillant. Interea quercus ea viscum protulerat, atq; id homines animadverterant. Implicitæ ergò repentè ibi omnes pariter misellæ, ac frustrà eas sera pœnitentia subijt, quod salubre illud consilium sprevissent. Atq; hoc esse ajunt, cur nunc aves omnes, ubi noctuam viderint, frequentes eam quasi salutant, deducunt, sectantur, circumsidunt, circumvolitant. Etenim consilij illius memores, admirantur eam nunc ut sapientem, stipantq; densâ catervâ, ut videlicet ab eâ sapere aliquando discant. Sed opinor frustrà, imò verò, etiam interdum cum magno ipsarum malo. Nam veteres illæ noctuæ revera sapientes erant: nunc multæ noctuæ sunt, quæ noctuarum quidem plumas habent, & oculos, & rostrum, sapientiam verò non habent.

Benè monentis consilia ne spernas, hæc fabula docet.

Apologus ex secundo libro Petri Criniti, de honestâ disciplinâ desumtus.

SATA est olim cucurbita juxta arborem pinum, quæ grandis admodum & ramis patulis extabat. Cucurbita verò

verò, cum multis pluviis atq; cœli temperamentis crevisset, lascivire incipit, & ramulos audacius porrigere, jam serpebat in pinum, jam surgere, jam ramos & frondes involvere audebat, ampliora folia, candentes flores, prægrandia poma, virescentia ostentans. Itaque tanto fastu atque insolentia intumuit, ut pinum arborem ausa sit aggredi, &, Vides, inquit, ut te supero amplis foliis, ut frigore præsto, & jam jam ad cacumen præsurgo? Tum pinus, quæ senili prudentia & robore pollebat, nihil mirata est cucurbitæ insolentis audaciam, sed ita ad eam respondit: Ego hic multas hyemes, calores, æstus, variasq; calamitates pertuli, & adhuc integra consisto. Tu ad primo igores minus audaciæ habebis, cum & folia concident, & vigor omnis abierit.

Secundis rebus non est superbiendum.

Fabula de Corvo & Lupis, ex Johann. Anton. Campano desumta.

Corvus lupis per ardua montiũ juga comitatur, & partem sibi prædæ fieri postulat, qui eos secutus nullo tempore destitisset, socius q; fuisset. Repulsus deindè à lupis, tanquam non eos, sed prædam cibumq; secutus, nec minus luporum, si occiderentur, quàm cæterorum animalium exta fuisset voraturus.

Non quid agamus, sæpe r inspiciendũ est, sed quo simus animo, cum agimus.

Altera de partu terræ ex eodem.

Turgida olim facta tellus, mirum in modum tumida, magnum aliquod partitura videbatur. Accurrunt finitimi, stupent agricolæ, terræ partum inter spem metumq; expectant: alij Typhoea illum Centimanum, alij montes ruptures putabant. Aperitur terra, prodit mus, & quod miraculo fore omnibus arbitrabantur, in risum atq; jocum converterunt.

Nõ semper credendũ promissis magnificis

Apologus de membris & ventre ex Plinio desumptus.

Humani artus cum ventrem ocioſum viderent, ab eo discordarunt, & suum illi ministerium negarunt. Cum eo pacto & ipsi quoq; deficerent, intellexerunt ventrem cibos acceptos per omnia membra dividere, & cum eo in gratiam redierunt.

Magnæ res discordiâ pereunt, concordiâ valent.

NICOLAI GERBELII PHORCENSIS APOLOgus lepidissimus.

De Araneâ & Podagra.

ARANEA paululùm à texendo opere quietior animi relaxandi gratiâ commodum deambulabat. Huic se obviam præbuit podagra, tametsi pãssibus ambiguis admodum

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728241870/phys_0154
DFG

dum ægrè illam assequeretur. Ejus diei itinere utcunq; emenso, non longè aberrant ab oppidulo, cui regionis ejus incolæ Tichæ nomen indiderant. Vtriq; consilium fuit, conditionis suæ hospitem pervestigare. Aranea non maximoperè datâ operâ in opulenti cujusdam civis ædes divertit: Inibi quaqua versũ telas suas præpandebat, prætendebatq; retia. Aderant illico, nescio qui trygodæmones, qui textrinam illius demolibantur: Momentaneum itaq; erat ipsius, quo etiam cunq; se verteret, ædificium. Nusquam enim scopariorum oculatas scopas poterat effugere. Misera planè, quæ in tanta rerum omnium affluentia sola egebat, proturbabaturq; Podagra verò mendicabuli instar vix tandem ægestesi cujuspiam tugurioluni impetrarat: Id in loci cum decubuisset, nihil non experiebatur miseriarum. Apponebatur cœnaturienti panis cibarius, aridis vix faucibus hianti hydropoterium. Jamq; diurno itinere lassescenti torus ligneus, nullis frondibus, nullo gramine, sed prætenuibus paleis insternebatur. Atqui dictre non est hujus instituti, quàm convenerint malè membris mollibus cuticulæq; (ut ita dexerim) holosericæ stragula tàm dura, tam barbari villi. Oriente igitur vix tandem illo angusto sidere, quod exaudit, quod intuetur omnia, convenère rursum aranea, simul & podagra. Prior aranea præteritæ noctis molestias tot locorum commutationes denarrat: Nunc heri exprobrans mundiciem, nunc nimiam scopariorum observantiam. Podagra contrà de hospitis sui ægestate complura comminiscitur. Nec ocium habet demonstrare aranea li-

vidas vibices, quas adamantina fulcra tenellæ cuticulæ impresserant. Consilium ineunt, araneam deinceps pauperum tuguria, podagram verò divitum aulas debere subingredi. In hac aranea pedibus, podagræ animis vadit sententiam: veruntamen tenebris jam jam increbrescentibus urbi cuipiam sese approximant. Podagra instituti non immemor pedetentim se in nummosi cujusdam domum illatebravit: Quâ commodum ab hera conspectâ, dij boni, quâ benevolentiâ, quâ humanitate, quibus nominibus excipitur? Supponuntur, substruunturq; olorinæ culcitræ, tolaria perdicum sub alaribus plumis referta. Taceo, vinum dulce, vinum nigrum, Lesbium, Surrentinum: Taceo ficedulas, phasianos atq; eas aviculas, quæ binis superbiunt cordibus. In summa, nihil deliciarum, nihil voluptatum non exhauriebat. Aranea pauperis casam ingressa, telas orditur, quaquaversum parietes interpatent, retia suspendit: Orbiculari opere manibus pedibusq; incumbit, reficit abrupta, perficit intercepta: & ut dicam breviter, vacua dominatur in aula: Nullas insidias, nullius formidat insultus. Imò verò etiam jam scopis superbior omnibus. Non multò post, podagra araneam convenit, delitias suas, felicitatem, fortunas, ampeiter exornat. Aranea miris laudibus extollit imperium suum, ædificandi, texendiq; libertatem, placuit tandē hæc utriq; sententia. Quocunq; proficiscerentur, podagra in divitum domos, araneam in pauperum tuguria debere divertere.

Apolo-

Apologo hic tametsi ad usus varios accommodari queat, id tamen inprimis declarat alium alio loco fortunatiorē esse. Pretereà morborum domicilium esse divitū aulas. Ad ultimum, nusquam libertatem majorē quam ubi divitiarum minus.

Fabula de Bellerophonte.

Temperantiæ & Castitatis præmia.

BELLEROPHOntem appellatum prius Hipponum ferunt, ut apparet, à scientia rei equestris, de qua & alati equi Pegasi fabulam ortam, verisimile est, quem à Neptuno accepisse traditur. Hic occiso Bellero Corinthio Bellerophontes appellatus, & sub imperio fuit Prœti regis Argivi, qui primùm & canum hunc, & in honore apud se habuit, posteà capitali odio sequens: cum tamen contaminari sese illius cædi nollet, ad certam eum mortem, ut putabat, ablegavit in Lyciam ad socerum suum Iobatem. Concitarat autem hoc illi odium falsa accusatio Anteæ uxoris Prœti, quæ cum sollicitasset adolescentem elegantem & formosum, & pasa fuisset repulsam, neq; ullis blandimentis movere potuisset, ἀγαθὰ φρονέουσα, ut inquit Homerus, simul in capitale odium, ut fit, incesto amore converso simul verita, ne ab illo indicium fieret turpitudinis, antevertere statuit criminatione facta, veniq; cum magnis clamoribus & querelis ad maritum, & accusat apud illum Bellerophontis audaciam & scelestos conatus, qui sibi inferre vim & stuprum molitus fuisset: Hanc tu, inquit, Prœte contumeliam nisi ultus fueris, Deos oro, in te

ut vindicens. Itaq; dolore commotus rex, fecit ut vir prudens, & à necessario & veteri amico, ipse quidem manus abstinendas sibi duxit: at tamen non impunitum malum facinus esset, ablegat Bellerophontem ad socerum suum in Lyciam cum literis, quibus petebatur, at tabellarium ille curaret interficiendum. Iobates cum audisset, adesse tabellariam à genero suo, summæ cum humanitate complectitur, atq; totos dies novem, novem bobus mactatis, inter sacra deorum, & epulas hilariter cum illo conversatur: Decimo die, ecquid literarum afferret, ut dictum esset, interrogat Bellerophontes ignarus omnium, tabellas reddit: Iobates cognitis ijs, quæ à genere petebantur, quo minus manifesta cæde, & quasi manu sua interimeret hospitem, religione prohibebatur, etiam miserebat hunc Bellerophontis, cui in adolescentia nihil ad laudis & virtutis summam deesse videretur: sed si tale facinus designasset, supplicium & pœnas meritas effugere oportere non arbitrabatur. Mittit igitur ad oppugnandum Chimæram, hoc monstrum divinum quoddam, non humanum erat.

Fróte leo, extremũ serpẽs, mediũq; capella
Efflabat autem de faucibus horribilem flammam, eratq; non solam congressu, sed omninò aspectu terribile: verùm hoc deorum immortalium ostenta secutus, confecit. Tum demandatur illi adversus Solymos, fortissimam nationem bellum: quo non alium sibi majorem unquam oblatum laborem fuisse dicere solitus perhibetur. Sed hi etiam superati vincendæ mox & interficiendæ fuerunt Amazo-

nes, virile, & inprimis bellicosum mulierum genus. Postremò tantis rebus gestis revertenti in Lyciam, delectam manum fortissimarum virorum opposuit. qui ex insidiis adorirentur Bellerophontem atq; trucidarent: sed ipse hos universos obtruncavit, ut ne unus quidem de cæde elaberetur. Ita demùm à diis immortalibus protegi hunc, & innocentiam calumnijs oppugnatum fuisse, intellectum. Quapropter Jobates in suum regnum recepto, dat uxorem filiam suam Cassandram, omnemq; regium honorem, dignitatem, emolumenta, tum illo æqualiter dividit. Tum verò Lycij suspicientes virtutem Bellerophontis, tanquam Deo lucum eximium sacrarunt, ubi in omni copia & fœcunditate soli, & amœnitate loci inter segetes, racemos, fructusq; arborum vitam degeret, in qua felicitate suscepit ternos liberos quoq; de uxore sua, Isandum. Hippolochum & Laodamiam, quæ Jovi placuit, pennitq; illi Sarpedoneum. Hanc ita dilexit Iupiter, ut interfectum à Patroclo honor sanguineæ pluviæ prosecutus, curarit deferri in Lyciam à duobus fratribus Leto & Sopore, ubi à propinquis conditum corpus illius apposita columna (ut in honorificis sepulturis fieri consuevit) tumularetur.

De Bove ruminante & Porco.

BOs epimus jam saturatus pabulo, recumbebat humi, & in illa quiete cibum præmansum ruminabat. Conspicatus hunc porcus, derisit atq; contempsit præ se, quod & bos tàm laboriosè nutriretur, & ipse non minus celeriter saginaretur, qui & avidissimè ingurgitaret se cibo, & no-

quaq-

quaquam ingesta semel revocaret in os ad conficiendum. Cui bos fertur dixisse: Ita nimirum esse naturam utriusq;, ut alter cautè pasceretur & lentè, alter avidè & subitò devoraret quævis, ac in sanguinem inermem converteret. Itaque non eundem esse amborum etiam usum.

Fabula docet, cogitatione & diligentia & cõsideratione, firma & solida intelligẽtiæ bona acquiri.

De Bove & Equo.

EQuum μώνυχα vocarunt, propter solidas ungulas. Hunc exprobrasse aliquandò ferunt bovi ungulas fissas, ita enim illum ingredi tardius, neq; exillire alacriter posse, sed bovem hoc modo traditur respondisse: Traditatem circumspectam non nocere.

Subijcit fabula dictum vetus Græcorũ σπεῦδε βραδέως.

De Corvo, Gallo, & Gallinis.

PAres cum paribus congregare verè dicitur, etsi in improbitate hoc fit ad detrimentum bonorum. Sic aliquandò corvus & vulpes conjuncti fuerunt Cum esurirent autem, excogitat hanc fraudem vulpes: Induit cucullam, & procumbit in genua, & librum ante se collocat, & priores pedes tanquam manus unà cum oculis in cœlum tollit, quasi deplorans prioris vitæ delicta, & veniam deprecans, & divinam misericordiam implorans. Venit igitur ex compacto, ad gallinarum cohortem corvus, & mira nar-

rat

rat de consuetudine & religione vulpis: deq; illius salutari doctrina, deq; vitæ emendatione & sanctitate. Sed quid opus est, inquit, verbis? paululum in hoc ne musculum progressæ, ipsæ licet aspiciatis optimam vulpeculam jam cultui divino & adorationi vacantem: & coram omnia cognoscatis. Movebantur oratione corvi stolidæ aves, & sequi hunc incipiebant. Cum Gallus fraude animadversâ, revocat illas, ac monet, viderent, qui ipsas, à quo, ad quem abducerent.

Cui credas, videto. Sed & ipsius fabulæ narratio aliquid doctrinæ comprehendit.

De Terrâ & Cœlo.

FERTUR, *cœlum quodam tempore superbè locutum esse contra terram, & multa inclementer in eam dixisse, inprimisq; contumeliosè exprobrasse huic humilitatem infimam, & molem atq; desidiam. Sed terra, neq; humilitatem sibi suam dedecori esse respondit, & se firmitatem boni consulere, neq; invidere agilitatem cœlo. Deniq; se neminem lædere inertiâ, & pondere suo, cum cœlum versatile & leve ea colligeret atq; includeret, de quibus & fulmina cum horribili fragore excuterentur, & pestilentes halitus omnibus animantum generibus immitterentur.*

Commendatio est pulcerrimæ & Deo gratissimæ virtutis, quã Græci ταπεινοφροσύνην nominant. Docet & hoc fabula, præstantes naturas nõ esse parvorum malorum effectrices.

De

De Corpore & Animo.

ANimus corpus moriens reliquerat. illud igitur, cum, antequam putresceret, de interno vapore inflaretur, gloriari incremento & sibi admodum placere cœpit: Verùm animus neq; diuturnam tu morē illam fore, & quid mox secuturum esset, ostendit.

Narratur contra elationē stultæ superbiæ.

De Simiâ & Vulpe.

SImia constituta nautas malum ascendentes imitari voluit, dissuadente quidem corvo, sed hac deridente monitu ipsius. Cum igitur antennas attigisset, subitò obortâ vertigine delapsa in transtra, & graviter afflicta fuit. Posteà viso solio, undè rex paulò antè discesserat, ascurrit, & illud occupat. Accedit deridens hanc vulpecula, & ecquid imperet, rogat. Simia astare illum & contemplari se reginam jubet. Imò ego, inquit vulpes, ut celeriter hinc te abripias suadeo. Sed superbè despicientem dicta vulpis, simiam canes, qui ante revertentem regem procurrerant, invadunt, atq; jam paventem & trepidam mordicus arripiunt, ac laceram & semivivam vix tandem amittunt, deplorantem illam & cupiditatem & stulticiæ damna.

Monet fabula, rectè monstrantibus esse obtemperandum. Et subjicit proverbium: Serò sapiunt Phryges

De Passere & Apicula.

PASSERVM genus esse perhibitur, quod fugit

conjunctionem & consuetudinem tàm cognationis suæ, quàm externarum avium. Ex his unum aliquando gloriantem & verbis ostentantem suam solitudinem, & hanc collaudantem, confutat apicula, & docet congregationes & cœtus multò esse cùm jucundiores, tum tutiores.

Commendatio est humanitatis & societatis

De Ove & Cervo.

FOrte ostium apertum conspicata ovis, procurrit de cavula, & gaudens libertate illa, abijt in silvam proximam. Cui obviam factus corvus, compescuit exultationem stolidi animalis, & reduxit errantem ovem in viam, ac revocavit ad aulam, cum demonstrasset illi, non esse tutum, ut sola vagaretur, præsertim in silvis.

Multi, secundum Platonem, fugientes servitutis liberalis fumum, in ignem incidunt dominationis servilis. Et est salutaris servitus ijs, qui ipsi sese regere non possunt.

De Nube & Terra.

NVBECula evaporata à terra relinquere eam, & in sublime ferri volebat. Terra vero increpare illam & horreri, ne se, unde orta esset, tàm citò desereret. Sed nubecula cupiditate loci excelsi elata in cœlum, & spretis monitis materni, mox à ventis dissipatur.

Narratur contra elationem superbiæ, cui ipse etiam Deus resistit, & humilibus favet.

De for-

De Formica & Apibus.

ALata formica cum apiculis congregabatur: Sed cum nollet intra alveum hyeme includi, ita revertendum sibi ad suum genus statuit. Formicæ autem vacuam & nihil in commane afferentem, nequaquam admittere voluerunt, reversamq; ad alveum, apes jam foramine oblito non potuerunt recipere.

Hoc dicitur: Suo quemq; loco consistere optimum. At narratur contra temerarias conditionis meliocris mutationes.

De Rhinocerote incurrente in rupem.

RHinoceros animal est robustum & grande, curio duro & squamato, quasi clipeatum, naso cornuto, unde & nomen sortitum fuit. Hujus generis unus conspecto quodam corvo infidente rupi declaraturus robur suum, omnibus viribus & summâ contentione in rupem impetum facit, tanquam hanc eversurus, & deturbaturus corvum. Sed incursione incitatissimâ fracto cornu, irridetur à prætereunte vulpeculâ. Quæ docet alijs ferramentis ad rupes demoliendas opus esse.

Subjicit fabula sententiã hãc, ῥώμη δὲ ἀνεμώλιος ἀφρων, Docetq; audaciæ vires & robur expers prudentiæ sæpè exitiosum esse.

De Onagro & Simiâ.

DE onagris, qui sunt asini silvestres, vulgò creditum

atq

atq; traditum est, hoc animal in serenitate esse pigrum & triste, alio tempore lascivire & exultare. Id si verum est, in illo atram bilem abundare oportet. Nam & homines reperiuntur, quibus idem usu venit, ut Sole & claro cœlo offendantur, pluviis & nubibus delectentur. Sed illi animali quondam simiam serenissimo die obviam factam esse aiunt, cumq; videret conturbatum & triste: Quid est, inquit, quod te talem aspicio? Satisne salvus? Sic, inquit, soleo esse tempore sereno. Nubilo verò & pluvio quid? Satis hilaris. Tum tu, inquit Simia, Vale, qui in mundis tristitiis lætaris, & hoc lætante tristis es.

Notatur perversitas vitæ & morum in multis levibus & improbis.

De Columba & Luto.

Columba candida delata impetu in lutum & iniquinata fuit. Cùm irrideretur à luto, & hoc contemnens & se consolans, emendabile ait damnum factum, & esse mundiciem suam, fœditatem luti propriam. Atq; deinde undam puram accedens contractas maculas eluit.

Innocentia maledictis aspergi quidem potest, sed veritas illi pristinũ nitorẽ facilè restituit.

De Ciconia, Muribus & Ranis.

Ciconia e juriens cum subter paludis aquas ranas, & intra cavernulas suas mures lantarent, ita elicere utrisq; pabulum suum aggressa fuit. Venit ad paludem, & narrat rana audijsse se, eam à mure verbis contumelio-

sis incesseretur genus ranarum, cumq; mus hoc despiciens, se unum ternos aut quaternos ranunculos profligaturum facilè esse gloriaretur. Ibi ira inflata rana se aperto in campo cum mure congredi, ac depugnare velle ait. Avolat igitur inde ciconia ad cavernulam muris, & ante hanc similia de ranæ superbiloquentia narrat, & quantoperè suas virtutes contra mures illa prædicarit, quodq; dixerit, ab una rana decuriam ipsorum, sine labore quidem, & ut Græci ajunt ἀπόνως superari posse. Ergò & mus iratus, ait se cupere cũ rana in certamen descendere. Assignatur locus dimicationi, campus spatiosus ac patens, & tàm à palude quàm cavernula muris remotior, in quem illi prælia tatores progressi, à ciconia otiosè devorantur.

Docet fabula, sæpenumerò commissos inter se aliquos, & irâ ac odio mutuo ardentes, alijs prædæ esse solere.

De Avaro & Montibus aureis.

CVM audÿsset quidam esse in India montes aureos, summo cum labore & per ingentia periculà illuc contendit. Quò cum tandem perven sset, reperit obsideri illos, & custodiri aurum à gryphibus, & montes esse inaccessos, deplorans igitur iter, tempusq; perditum & se afflictum ambulando ita cum dolore & labore aliquantò magis molesto quàm accessionis fuerat, inanũ domum revertitur.

Imprudenter sæpè appetunt ea, quibus neque potiri neq; frui possunt.

De

De Simia & circulatore.

SIMIA petit à circulatore vestem, cùm ille pulcerrimam & aureolis filis distinctam offert, & dare hanc se ait simiæ, sed eâ lege, ut catenula se alligari patietur. Qua cupiditate ornatus recepta, postea servire perpetuò acta fuit.

Notatur inescatio cupidorũ, & indicatur voluptatis comitem esse servitutem.

De Hirundine.

HIrundo applicata ad ulcera virulenti margines, avidè sanguinem infectum attraxit, & mox differta veneno interiit.

Narratur fabula contra ingluviem & intemperantiam, quâ plures quàm gladio interire verè dicitur.

De Terra & Cælo.

QVerebatur terra cœlum sibi celeriter eripere calefactum, quod dedisset humidum. Cui illud: Non enim dare possem, nisi reciperem.

Ostenditur, mutua beneficia durabilia esse.

De Mari & Amni.

AMnem interrogat mare, quando finem influendi facturus sit? Cui amnis: Cum tu admittendi.

Liberalitatis sunt perpetua beneficia.

De Apicula & Ebrioso.

EBRIOSVS de apicula circumvolante percontatur, quidnam consectetur? Illa, dulcia, respondit. Huc igitur, inquit, mecum accedito, ut abundè haurias, & ad poculum plenum suavissimo vino, qui ἀυθοσμίας dicitur, eam adduxit. Sed hoc illa refugit, ut contrarium.

Non eadem omnibus jucunda videri esse, docemur. Itemq; copiam voluptatis fugiẽdam esse.

De Aquâ & Oleo.

SVper aquam effusum oleum natabat. Hoc aquæ dolebat, quæ diceret immeritò se premi ab eo, cujus arborem suo humore fovisset, ut gignere olivas posset, unde ipsũ esset expressum. Nihil iurans hoc oleum, mox forte igne correptum, & inflammatum consumitur: Aquâ romanente & impediente etiam conflagrationem.

Fabula narratur de ingratorum maliciâ & bonorum simplicitate.

De Prometheo.

CVm experiri vellet Prometheus, utrum inter homines, quos jam cœperat effingere, consensio aliqua & animorum convenientia futura esset, priusquam caput reliquo corpori aptaret, in quo rationem & cogitationem & intelligentiam collocare placuerat, congesta aliquot capita in sac-

in sæculum indidit, & conscendit montem, & laxato sacculo, ita effusa capita devolvi permisit. Ibi unum huc, aliud alio deferri multa etiam in sese impingere, & unum alterum evertere atq; percellere. Ibi tum ille facilè prævidit, quæ humanarum sententiarum discrepantia futura esset inter homines, tanto nimirùm numero, quantus capitum extitisset.

Quot homines, tot sententiæ.

De eodem & fratre ipsius Epimetheo.

CVM fabricari in loco subter terram secretiore homines cœpisset Prometheus, occupato quondam alijs illo rebus, venit in officinam frater ipsius Epimetheus, quem Pindarus vocat ὀψίνουν, & conspectis operibus institutis, cœpit & ipse imitando fraternas effigies, aliquid formæ humanæ de luto componere. Quibus inter alias, quas absolverat Prometheus, postea animatis etiam ipsis, magna fuit inter hæc duo genera diversitas, sicut & inter eorum posteritatem manet. Nam Promethei soboles acris est & prudens & sagax: Epimethei iners, stolida, incogitans.

Fabula docet, diversas esse hominum naturas & ingenia.

De Equo.

EQVVS nationis generosæ, cùm jam ascenderet

& agitaretur, phaleris etiam ornatus, suberbire animo & exultare corpore, & gestire effusè atq; efferri cœpit. Audito verò etiam tubæ sonitu, jam nesciebat stare loco, micabatq; auribus, & tremebat toto corpore, cupiditate belli incitatus. Sed postea defatigatus & afflictus in prælio, ægreq; servatus & reductus ad præsepe, ibi demissis auribus & remisso flatu placidè astitit, & in subjecta stramenta mox incubuit & acquievit.

Dulce bellum inexpertis.

De Patre & Filio.

RELICTO unico filio & patrimonio luculento quidam vir honestus decessit, cum prius monuisset filium, benè esse parta omnia, & hortatus fuisset, ut rem paternam & avitam tueri, & posteritate etiam conservare vellet, mortuo patre, divitiarum ingente desiderio captus adolescens fundos paternos proscribit, & magnam summam pecuniæ cogit, quam partim fœnore elocat, partim mercimoniis comparandis impendit. Sed cum neq; pensiones solverentur, & sors queq; perieret, & fierent magnæ in mari jacturæ, & empta cum detrimentis distraherentur: tum ad extremam ille inopiam redactus ad reliquias pauculas bonorum paternorum reversus, & frustrà jam obsequi cœpit, monitis paternis, & amissâ bene vivendi occasione reliquum tempus in paupertate atq; miseriâ exegit.

Prima doctrina fabulæ est, Obtẽperãdũ parentibus

rentibus enixè. Secunda, ab his relicta diligentia cõservãda. Tertia, Menãdri sẽtẽtia:

πλεονεξία μέγιστον ἀνθρώπῳ κακόν.

Quarta ejusdem versuum horum:

Ἐπὰν δὲ ἐν ἀγαθοῖς, εὖ νοέμῃ & τὰ ὧν,
Ζητεῖ τὰ κρεῖττον ὧν ἔχει, ζητεῖ κακά.

De Venatoribus & Vulpe.

VEnatores jam defessi indagando, cum tota die nihil exagitare neq; capere potuissent, domum tandem reverti incipiunt. Et vesperi prope casam rusticam vident vulpem insidiantem gallinis, in quam canes immittunt, & illâ captâ, non prorsus inanes redeunt ad suos.

Monet fabula, interdùm fortuitò obvenire commodum, quod nullo labore acquiri potuerit.

De furto indicato.

QVidam argentea vasa furto subtracta in terram defodit, ubi recta facilè latuerunt, neq; autor furti proditus fuit. Longo tempore pòst, nemine jam amplius quærente, ipse illa proferre & venundare cæpit. Itaq; agnita insperatum furis indicium fecerunt.

Sententia Menandri subjicitur, Veritatem prodire ultrò interdum in lucem.

ἔρχεται, inquit,
τ' ἀλήθεις εἰς φῶς ἐνιοτ' οὐ ζητούμενον.

De Monedula.

Monedula est animal furax, & sunt, qui à moneta nomen istud deductum putent, quod nummata rapere & auferre genus hoc soleat. Harum unam parvulam adhuc à matre sene confectâ castigatum verbi fuisse ajunt ob furta. Cui illa objurgata dixerit, lusum hunc esse suum. Matre verò docente lusum istum esse vituperandum atque malum: interrogasse pusillam monedulam perhibent: Nunc quid hunc lusum ipsa etiam aliquando lusisset? Annuit mater, sed tempori inquit, desiti. Et ego, inquit filia, aliquandò desistam. Tum mater, vide tamen ut possis: Nam hoc est ferè maximè omnium difficile, relinquere ea, quæ consuetudine & usu frequentaveris.

Doctrina est inclusa narrationi. Nam & virtutes & vitia usu confirmantur, ut neque serio neque loco dedecus admittendum, aut flagitium committendū est.

FINIS.

INDEX

INDEX OMNIUM FABULARUM, QUÆ IN HOC LIBELLO CONTINENTUR.

A.

Abies & dumeta. 26
Accipiter & columba. 33
Accipitrum pax. 45
Adolescens cantans in funere matris. 39.
Adolescens & Cocus. 13
Ægrotus & Medicus. 48
Agricola. 33.38.
Agricola & anguis. 2
Agricola & Ciconia. 17
Agricola & filij. 14
Agricola, miles & mercator factus. 3
Agricola thesaurum inveniens. 25
Amnis contemtor fontium. 38
Amnium silentia. 34
Anguis & agricola. 8
Anseres & grues. 62
Anus laborans ex oculis. 53
Aper & Asinus. 2
Apicula & Jupiter. 58
Apicula & ebrietas. 77
Apollinis tentator. 46
Aqua & oleum. 77
Aquila & cornix. 4
Aquila & Consulus. 42
Aquila & Homo. 58
Aquila & monedula. 18
Aquila & scarabeus. 32 & 64.
Aquila & vulpes. 16
Aranea & hirundo 34
Aranea & podagra. 70
Arbor & cunei. 61
Arbor fralaticia. 19
Aries & taurus. 42
Arionis & Delphini fabula. 68.
Arundo & olea. 25
Asini lapsus. 40
Asini vota. 39
Asinus agrotans. 39

Asinus controversus. 31
Asinus communis. 61
Asinus Cumanus. 63
Asinus & catulus. 5
Asinus & corvus. 18
Asinus & equus. 10
Asinus & olitor. 21
Asinus & viatores. 63
Asinus & vitulus. 34
Asinus excors. 28
Asinus indutus leoninâ pelle 23
Asinus puniceus. 42
Avarus & montes aurei. 76
Auceps & Anguis. 15
Auceps & cassita. 48
Auceps & noctua 32. & 39
Avicula & meßis. 26

B.

Bellerophontis fabula. 72
Bos & juvencus. 30
Bos ruminans & porcus. 72
Bos & equus. 73
Boves & leo. 26
Bubulcus. 29

C.

Camelus. 24
Canere. 23
Canis & cocus. 13. & 15
Canis & Lupus. 16
Canis & ovis. 14
Canis & pastor. 42
Canis & sus. 35
Canis in præsepi. 18
Canis mordax. 24
Canis qui frustum carnis ferebat. 2
Canis senex. 6
Capi. 38
Capra & lupus. 21
Carbonarius & fullo. 15
Carduelis. 36
Carnes suillæ. 61
Cassita & pulli ejus. 65
Cera. 38
Cervus & boves. 12
Cervus & ovis. 7
Cicada & formicæ. 22
Ciconia, mures & ranæ. 76
Columba & pica. 34
Columba & lutum. 76

Corni-

Cornicis consilium. 38
Cornix. 27
Cornix educans accipitrem 62
Cornix superbiens aliarum avium pennis. 9
Corvus & animus. 74
Corvus ægrotans. 5
Corvus & lupi. 33 & 70
Corvus & vulpes. 4
Corvus, gallus & gallinæ. 73
Crines alieni. 25
Cuculus & accipiter. 34
Cucurbita & palma. 33
Cucurbita & pinus. 69
Culex & apes. 44

D.

Dissidium ventris & membrorum. 65
Divinator. 48

E.

Equus & asinus. 15 & 21
Equus & cervus. 13
Equus & porcus. 36
Equus inornatus. 43
Equus nevitius. 35
Equus. 78
Erinaceus & vipera. 41

F.

Faber & canis. 59
Faunus & Venator. 28
Felis limam lingens. 11
Felis & gallus gallinaceus. 17
Felis & mures. 54 & 61
Fiber. 47
Formica & columba. 19
Formica & apes. 75
Fur & canis. 6
Furtum indicatum. 79

G.

Galli gallinacei. 55
Gallina auripara. 29
Gallina & perdix. 46
Gallina & vulpes. 50
Gallus repetitor unionis. 62
Gloriator. 46
Grus & pavo. 45
Gula deditus. 36

H.

Herus & canes. 16
Hinnuleus. 55
Hirundo. 77
Hirundo & avicula. 5
Hædus & lupus. 14 & 20
Homo & felis. 14
Homo & leo lapideus. 27
Homo & statua. 31
Histrix & lupus. 40

I.

Ictis & vulpes. 30
Inimici. 54
Invidus. 27
Jupiter & vipera. 61

L.

Leo, asinus, lepus. 45
Leo, asinus, vulpes. 20
Leo & mus. 37.
Leo & musculus. 5
Leo & rana. 19
Leo & tauri. 59
Leo & vulpes. 12
Leo hospes hominis, & homo medicus leonis. 66
Leo, juvenca, capra & ovis. 2
Leo pictus & adolescens. 57
Leo porcus. 55
Leo senex. 4
Leæna & vulpes. 59
Lepores & ranæ. 7
Lepus & vulpes. 42
Lignator & Mercurius. 56
Leporum & ovium pax. 12
Lupus & agnus. 10
Lupus & asinus. 9
Lupus & grus. 2
Lupus & hircus. 11
Lupus & hædus. 7
Lupus & mulier. 23
Lupus & vulpes. 19
Lupus piscis. 30
Lupus suspensus. 41
Luscinia & accipiter. 44 & 49
Luxuriosus & hirundo. 69

M.

Malus & pirus. 56
Mare & amnis. 77
Medicus & ægrotus. 29

Mem-

Membra & venter. 70
Milvius & columba. 6
Monedula. 79
Mons parturiens. 6
Mortis nuncij. 45
Mulier & ancilla. 21
Mulier & gallina. 74
Mulier & nux. 93
Mulus. 14
Mures duo. 3
Mures & Felis. 40
Musci suffocatio. 60
Musca & formica. 9
Mus & Milvius. 41
Mus & ranæ. 1
Mus & taurus 29
Mus in cista natus. 33
Mustela. 19

N.

Nubes & terra. 75

O.

Olla natans. 25
Ovis & Pastor. 43
Ovis & cervus. 75
Onadet & simia. 75

P.

Pardus & vulpes. 30
Partus terræ. 70
Passer & apicula. 74
Pastores. 35
Pastor & mare. 49
Pater & filius. 78
Pavo. 18
Pavo & monedula. 19
Perdix & auceps, 60
Piscatores & testudines. 31. & 63
Piscatores saxum extrahentes 53
Piscatores thunnum capientes 52
Piscator stolidus. 61
Piscator tibiam inflans. 52
Piscator & simarus, 21
Prometheus. 78
Prometheus & Epimetheus. 77.
Proximus sibi quisq. 39
Puer & fortuna. 18
Puer & mater. 94
Puer & scorpius. 59

Puer fallax. 27
Puer mendax. 18
Pulex 57
Pulex captus. 57

R.

Rana crepans. 9
Ranæ & Jupiter. 5
Ranæ & lupi pisces. 61
Rex & simia. 62
Rhinoceros incurrens in rupem. 75
Rota & vector. 43
Rusticus & filij illius. 51
Rusticus & juvencus. 27

S.

Satyrus & rusticus. 64
Scarabeus & aquila. 64
Scrofa & lupus. 6
Securis & ligna. 11
Semicanus & uxores illius. 60
Senex & adolescens. 44
Senex & mores. 53
Simia. 22
Simia & nati ejus. 29
Simia. 31
Simia & nuces. 62
Simiæ & bardalis. 64
Simius & vulpes. 12
Simius rex. 58
Simia & vulpes. 74
Simia & circulator. 77
Sol & aquilo. 23

T.

Talpa. 57
Taurus & hircus. 22
Terra & cœlum. 74 & 77
Testudo domigera. 14
Testudo & aquila. 23
Thunnus & Delphinus. 47
Tigris. 26
Trabs & boves. 36
Tubicen. 15

V.

Venator & cerdo. 37
Venatores & vul. 79
Venter & membra. 11
Vermiculus & vulpes. 24
Vespæ & perdices. 57
Vespertilio transfuga. 10
Viator. 48

Vetum

INDEX.

Votum quod solvi non posset 52
Vox hœdi. 44
Vpupa. 36
Vrsi præceptum. 24
Vulneratus à cane. 47
Vulpecula & pardalis. 62
Vulpeculæ. 50
Vulpes & aviculæ. 32
Vulpes & ciconia. 8
Vulpes & crocodilus. 50
Vulpes & felis. 62
Vulpes & hircus. 45
Vulpes & lignator. 50
Vulpes & leo. 16
Vulpes & lepus. 43
Vulpes & mustela. 13
Vulpes & sentes. 50
Vulpes & uva. 56
Vulpes in officina statuarij. 8.
Vulpes leporu laudatrix. 43
Vultur. 28

FINIS.




Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn728241870/phys_0180
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728241870/phys_0181
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728241870/phys_0182
DFG

Cornicis consilium. 3
Cornix. 2
Cornix educans accipitren
62
Cornix superbiens aliarum
avium pennis. 9
Corvus & animus. 74
Corvus ægrotans. 5
Corvus & lupi. 33 & 70
Corvus & vulpes. 4
Corvus, gallus & gallinæ.
7
Crines alieni. 2
Cuculus & accipiter. 3
Cucurbita & palma. 3
Cucurbita & pinus. 6
Culex & apes. 4

D.

Dissidium ventris & mem
brorum. 6
Divinator. 4

E.

Equus & asinus. 15 & 2
Equus & cervus. 1
Equus & porcus. 3

us. 43
s. 35
78
ipera. 41
59
or. 28
gens. 11
gallinaceus.
17
s. 54 & 61
47
lumba, 19
es. 75
6
tum. 79
i. 55
ra. 29
dix. 46
pes. 60
unionis, 1
46
45
36

Herus